ÖSTERREICHISCHE
NATIONALBIBLIOTHEK

257.293-D

FID.



D. 2.
207. D. 4.
74- 050

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

STIRPIUM DALMATICARUM

SPECIMEN

AUCTORE

ROBERTO DE VISIANI M. D.

PATAVII

TYPIS CRESCINIANIS

MDCCCXXVI

257.293 - D

FID.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO · CELEBERRIMO

FRANCISCO · IOSEPHO · L · B · DE · IACQVIN

BOTANICES · ET · CHEMIAE

IN · PERILLVSTRI · VINDOBONENSI · VNIVERSITATE

PROFESSORI · CLARISSIMO

ETC· ETC· ETC·

NOMINIS · INGENIIQVE · PATERNI

HAEREDI · ATQVE · AEMVLO

HOC · QVALECVMQVE · STVDIORVM · SVORVM

SPECIMEN

IN · OBSERVANTIAE · ARGVMENTVM

D· D· D·

AVCTOR

Digitized by Google

. . . . . *Non eos satis considerate se gerere, aut sibi patriaeque bene consulere existimo, qui foris ea quaerunt, quae sunt domi ante oculos posita.*

LINN.

FID.C

Digitized by Google

PROOEMIUM

Inter ea multa, quae honestum moratumque hominem spectant, munera, nullum dulcius, sanctius nullum, quam patriae illustrandae, pro ut cuique datum est, officium; eoque magis si haec non ita diligentibus, quoad nonnulla studia, inclaruerit scriptoribus, qui propriis operibus ostenderint, quibus ipsa cum naturae tum artis divitiis gloriari possit.

Superbit siquidem Dalmatia suos commemorando clarissimos viros, Verantium nempe, Patritium, De Dominis, Lucium, Baglivium, Rotam, Boscovich, Stay, et plures alios pulchrarum artium nobiliumve disciplinarum cultores praestantissimos: desiderat tamen adhuc historicum, qui naturales soli dotes scribendo illustraverit. Licet enim cel. Fortis (*) plura hac de re adnotaverit, tamen neque Auctor hic Dalmata, neque ejusdem observationes tanto otio fuere perfectae, quanto opus est ad facta historiae naturalis multiplici investigatione atque repetitis experimentis comprobanda, nec eo ordine digestae, ut numeris omnibus absolutam hujusce provinciae geologicam et mineralogicam historiam repraesentarent. Quod si nihilominus inficiandum non est, clarissimum Fortis de geologia ac mineralogia Dalmatiae optime me-

(*) *Saggio di Osservazioni sopra l'isola di Cherso ed Osero.* Venetiis 1771. *Viaggio in Dalmazia* Vol. II. Venetiis 1774.

Digitized by Google

ruisse, nemini profecto similis honor tribuendus quoad reliquas naturalis historiae partes, cum nullus adhuc extiterit qui botanices ac zoologiae dalmaticae sedulam navarit operam.

Quapropter ego, qui et herbarum studium amantissime excolo, quique ad hunc finem patriae meae solum ditissimum saepius peragravi, non abs re fore duxi, de plantis Dalmatiae, pro viribus, opus incipere, cujus quasi specimen Botanicis nunc primum exhibeo. Cumque in patriam brevi sim rediturus, ibique permanenter commoraturus, spero fore, ut plantas omnes commode colligere atque observare meumque opus idcirco prosequi possim, dummodo prodromus hic suffragio peritorum excipiatur. Neque enim integrae Florae conficiendae onus nimis grave mihi suscipiendum esse putavi, sed consultius me acturum duxi, si rariores ejusdem species per fasciculos vulgassem, atque simplicem addidissem catalogum cognitarum specierum, quas egomet per provinciam crescere inspexi, vel ab aliis ex eadem mihi missas accepi, et quarum omnium indubia in meo herbario cuiqué patent testimonia. Idque ut facerem, hisce potissimum suadebar rationibus.

Primo enim botanicos minime latet, perfectionem in hujusmodi operibus frustra requiri, nec posse Florae alicujus auctorem, vel aliorum laboribus adjutum, secretiores omnes, omni tempore, loci angulos ita inspicere, quin nulla illum fugiat planta; quod etiam magis arduum redditur, si de vasta, montosa ac difficili regione agatur, qualis est Dalmatia, et si nullum de ejusdem plantis anterius botanicorum opus praesto sit in auxilium. Deinde negari nequit, in qualibet Flora partem maxime utilem omnino exiguam esse, cum in quocumque horum operum, caeteroquin difficillimorum, paucissimae occurrant species novae et rariores, quae descriptione aut illustratione indigeant, innumerae e contrario notae et vulga-

Digitized by Google

res, quas tamen in integra Flora iterum describere oportet, licet centies in antecedentibus operibus exhibitas et enucleatas. Hinc necessitas oritur plura compingendi volumina, quorum pars utilior minima, eaque tot aliis rebus immixta, quae scientiae progressui, ut plurimum, parum conducunt, quamquam iis expediant, quorum regionem respicit opus. Hisce ego argumentis evictus, partem Florae vere utilem persecutus sum, de caetero nil sollicitus. Num hoc recte, botanicorum erit judicare.

Ita igitur meam instituam opellam, ut prius nonnulla de topographia Dalmatiae ejusdemque geographica positione, de coeli temperie, soli vegetatione, botanicis qui eam inviserunt, deque iis, quae ad dalmaticam Floram spectantia hucusque edita et mihi cognita sunt, praemittam, et deinde nonnullas plantas visas mihi novas suscipiam describendas, nonnullas autem illustratione dignas novis animadversionibus exornandas. Haec omnia excipiet cognitarum stirpium enumeratio, in qua praeter nomen systematicum a cl. Steudelio receptum (*), nomen addam illyricum quo plantae in ipsa provincia appellantur, quod cum indigenis tum alienigenis etiam botanicis viam sternit ad plantas quas cupiunt, nomine illyrico quasi duce, facilius in Dalmatia inveniendas; postremo situm, quo crescunt, adsignabo, atque opportuniores observationes adjungam. Hujusmodi catalogus perexiguus prima fronte videbitur iis, qui dulcem illius coeli temperiem, variamque illius terrae vegetationem agnoscunt: sed statim mirari desinent, dummodo animadvertere velint, in eo nonnisi eas plantas recenseri quas hisce oculis egomet vidi, et de quarum existentia sine errandi periculo testari possum. Ea insuper fuit usque adhuc occupationum mearum indoles ac natura, ut nunquam

---

(*) *Nomenclator botanicus enumerans ordine alphabetico nomina atque synonima plantarum.* Vol. I. *Phaner.* Stuttgardtiae et Tubingae 1821. Vol. II. *Crypt.* ib. 1824.

Digitized by Google

verno tempore, inter caeteras anni tempestates apprime florido, solummodo autem autumnali in otio Dalmatiam visere potuerim, ex quo non id commoditatis habui ut ejusdem vegetabilia majori ex parte cognoscerem. Praeterea fieri solet in regionibus calidioribus, qualis est nostra, ut nimius aestivus ardor tenuiores vernales plantas ita exurat, ut operam plane perdat qui autumno aliquod earum quaerat vestigium. Attamen, hujusce progressu operis, est mihi in animo, cuilibet fasciculo plantarum rariorum, totidem primi hujus catalogi addere supplementa iis locupletata notis speciebus, quas in posterum erit observare. Ac proinde, opere ad exitum perducto, horum fasciculorum summa et novarum a me detectarum stirpium descriptionem, et illustrationem dubiarum, et generalem catalogum cognitarum specierum, quas opportunitas mihi aspiciendas obtulerit, continebit.

Quoad nomina illyrica, ea partim ex quadam opella inedita Can. Petri Bartulovich Puovich Mucarensis, partim ex parvulo herbario Doct. Barbieri paucos ante annos physici Traguriensis meritissimi, partim ex Lexico italo latino et illyrico cl. P. J. Stulli Epidaurii, partim denique ex viva rusticorum, monticolarum atque herbariorum voce collegi. Qua de re cum labor hic meus qualiscumque nomina herbarum contineat in quatuor diversis Dalmatiae locis adhibita, Sibenici scilicet, Tragurii, Mucari, atque Epidauri, spero futurum, ut saltem ex hac parte patriae meae aliquid afferat utilitatis. Neque ego ita mihi blandior, ut existimem me omnia nomina illyrica collegisse, quod et per se difficillimum est, mihique, ratione habita praeteritae meae conditionis, impossibile; neque ut arbitrer, me omnes hallucinationes et errores evitasse, quos vix aut ne vix quidem evitare potest qui vulgares cujuscumque rei denominationes systematicis nominibus suscipit comparandas: praesertim cum neque auctores superius citati probabiliter ab omni pror-

Digitized by Google

sus errore immunes evaserint, quippe qui herbarum scientiam parum admodum callerent. Sufficiat hic fundamenta jecisse: ad erigendum autem perficiendumque aedificium alios etiam patriae meae incolas studium validamque operam collaturos confido. Quod quidem consequentur, si vel plantarum ab ipsis certe cognitarum nomina illyrica mihi communicabunt, vel me de erroribus in quos forsan inciderim, perhumaniter admonebunt; atque hoc mihi libentissime praestituris, jam me in antecessum quam maxime memorem ac devinctum publice profiteor polliceorque.

Hisce expositis, nil amplius superest nisi ut praeceptori meo amantissimo Doct. Jos. Ant. BONATO in Patavina Universitate professori spectabilissimo, perillustri Fr. Nic. l. b. de JACQUIN professori Vindobonensi clarissimo, botanico infatigabili Jos. MORETTI rei agrariae professori Ticinensi, ac praesertim sagacissimo Ant. BERTOLONI Bononiensis Universitatis decori atque ornamento, propter sapientissima ac liberalia consilia, quibus laborem hunc prosecuti sunt, gratias agam et referam solemnissimas. Nec sine gratiarum actione praeteream aut ingenuam nobilissimamque Adolescentulam, cujus plane singularis modestia haud patitur nominari, aut egregium mihique conjunctissimum Doct. Vincentium Jadrov medicum et chirurgum Sibenicensem, aut amicissimos Viros Miotto et Andrich Tragurienses, qui mihi omnes plures plantas liberali dono dederunt, ac tali pacto catalogum stirpium dalmaticarum ditavere.

Sed quibus ego Te complorabo lacrymis, o mihi ante diem erepte, Frater dulcissime? Qui quantum temporis Tibi longa et anxifera aegritudo non praeripiebat, id totum impendebas peramanter ad multiplices nativi soli venustosque flores colligendos, ut lectam mihi texeres quasi corollam, fraterni amoris pignus exoptatissimum. Fruare pace beatorum, Anima suavissima! fruare pace,

Digitized by Google

quam nunquam brevi infelicis vitae curriculo adeptus es. Hos ego flores, honoratum ac perenne cordis Tui monumentum, veneror ac deosculor, hisque in serti modum contextis pie Tuum redimio tumulum, atque insolabilibus consternatae familiae lacrymis commisceo meas. Hoc qualecumque fratris frater ne spernas donum, quod Tibi sit et pro supremo amoris nostri pignore, et fugacis, eheu nimium! vitae Tuae brevitatis imagine, et speciosae qua praecingeris in coelo, coronae quodam veluti simulamine.

Digitized by Google

DE DALMATIA EJUSQUE VEGETATIONE.

Neminem in physiologia vegetabili vel modice excultum profecto latet, inter caussas vegetationem regionis cujuslibet apprime spectantes principem sibi locum vindicare geographicum ejusdem situm, physicamque soli constitutionem. Qua de re botanicis praestantioribus ea semper fuit consuetudo, ut quoties de plantis alicujus loci sermonem essent instituturi, toties de ejusdem positione atque natura quaedam praemitterent, ac ex his operis veluti exordium ducerent. Quibus ego, licet impar, vestigiis insistens, pauca, generalia et propius ad rem facientia de Dalmatiae solo brevi exponenda suscipiam.

Dalmatiam, cujus confinia, ob varios belli casus dominorumque quibus inserviit arbitrium, mutationes plurimas easque gravissimas subiere, duobus distinctis partibus constare video, quarum una litoralis, continua, nec mari intercisa, altera insularis. Prior in angusta longeque protensa ora consistit, quae exordiens a Sinus morlaccensis (1) orientali extremitate posita contra insulam Gissam (2), ubi vetus Japidia (3) desinit, litus efficit boreale-orientale maris Adriatici Albaniam usque. Interjacet regio haec gradum 44° 28′ 40″ et 42° 30′ 0″ latitudinis borealis, ac gradum 12° 39′ 30″ et 16° 42′ 0″ longitudinis orientalis, calculo inito a meridiano parisiensi (4).

Loca notatu digniora in hac Dalmatiae parte, juxta ordinem quo venientibus ex occaso obviam fiunt, sequentia sunt: Aenona (5) Jadera (6)

---

(1) Vulgo *Canale della Morlacca.*

(2) Hodie *Pago.*

(3) Nunc *Litorale austriaco.*

(4) Ne et ipse inciderem in errores atque contradictiones gravissimas in geographis obvias quoad longitudinem latitudinemque Dalmatiae, tutius duxi eam continentis ab illa partis Dalmatiae insularis distinguere, utpote quae non levi discrimine inter se differunt, veluti in posterum erit observare. Quae autem ad hujusmodi calculum pertinent ea omnia excerpta sunt ex accuratissima illa nautica charta, cui titulus: *Carta di Cabotaggio dell'Atlante del Mare Adriatico disegnato ed inciso nell' istituto geografico di Milano sotto la direzione dello Stato Maggiore generale di S. M. I. R. A. Milano* 1824.

(5) Nunc *Nona.* Locorum nomina huc adhibita praecipue Pliniana sunt, vel his deficientibus, e veteribus geographis petita.

(6) *Zara.*

Digitized by Google

Scardona, Sibenicum, Tragurium (1), Spalatum, Onaeum (2), Mucarum vel Muchirum (3), Stagnum, Ragusium (4), Castrum novum, Ascrivium (5), ac Butua. Inter loca minora recenseri merentur *Novegradi*, Tininium (6), *Dernis, Verlika, Sign*, Mandetrium vel Andetrium (7), *Poljzza, Duare*, Imotha vel Emotha (8), *Vergoraz*, planities *Canali* dicta, Epidaurus (9), Rhizinium (10), *Perasto, Dobrota, Perzagno, Zuppa*, atque extremus Dalmatiae vicus *Pastrovich* nuncupatus, trans quem Albaniae illa pars incipit quae Turcarum imperio regitur. Ex plurimis urbibus, quibus jam olim regio haec gloriabatur, nil hodie superest nisi nomen, vel pagus aliquis miserabilibus earumdem reliquiis superstructus, iisdemque quodammodo coagmentatus. Sic ubi quondam vetus assurgebat Blandona, dein Alba maris nunc pagus *Zara vecchia* dictus, ubi Asseria vel Assesia *Podgraje*, ubi Coris vel Corinium *Carin*, ubi Nedotium vel Nedinum *Nadin*. Burnum Procopii sive Liburnam Strabonis frustra quaereres, ni arcus nonnulli antiquitate atque arte spectabiles loco *Suppliacarqua* dicto in *Bukovicca* ejusdem situm indicarent. Ubi fuerit Tariona oppidum extricatu difficile: videtur tamen verisimile non ita longe a Sibenico abfuisse. Loco nunc dicto *Traù vecchio* fuit quondam, teste Lucio, Praetorium. Sici vel Siclidis Peutingerianae nullum monumentum adest, quo quasi duce, hujus urbis in qua Claudius veteranos miserat, veram positionem agnosceres. Probabile tamen est, in ea pulcherrima oppidorum serie extitisse, quae Tragurium inter atque Salonam marinum litus exornat, loco hodie *Riviera dei Castelli* nuncupato. Eversae Salonae, urbium dalmaticarum principis, situm magnitudinem atque divitias viro antiquitatis studioso, vel patriae gloriae historiaeque sollicito adhuc demonstrant residua moeniorum firmissima fundamenta, balnea tessellis strata, marmoreae sarcophagorum moles rarioribus caelaturis insignes, alabastra mortuaria, lapides sepulchrales, ac caetera quae illinc in diem effodiuntur, antiquariorum deliciae, et vetustae magnificentiae amplissima testimonia. Flumen pulcherrimum Salonam praeterfluens, antiquo seposito, nomen civitatis sibi veluti in haereditatem adscivit, ne hoc quoque tantae urbis vestigium invida deleret oblivio, atque vicus eidem superstructus

---

(1) *Traù.*
(2) *Almissa.* Consule cl. Fortis in suo *Viaggio in Dalmazia* 2. p. 95.
(3) *Makarska.*
(4) De variis hujusce urbis nominibus vide cl. Appendinium *Notiz. Stor. di Ragusa* 1. p. 73.
(5) *Cattaro.*
(6) *Knin*, qui forsitan est *Arduba* Dionis Cassii.
(7) *Clissa.* Est Ἀνδέτριον Ptolemaei, Ἀνδίτριον Dionis, Ἀνδήτριον Strabonis.
(8) *Imoski.*
(9) *Ragusa vecchia.*
(10) *Risano.*

Digitized by Google

pari insignitur nomine. Ubi olim Epetium, Issaeorum colonia, nunc *Stobrez*, ubi Æquum, fere nulla hominum habitatio (1). Inter Onaeum et Mucarum florebat quondam Peguntium loco, juxta Fortis, nunc *Urullia* dicto; Ratineo veterum successit Mucarum, Billubio *Bilopolje*, Argyrunto *Obroazzo*, Promonae urbi *Promina*, Phariae *Città vecchia*, Naronae denique, urbi inter dalmaticas praesigni, pagus *Vido* situm tuens atque antiquae gloriae reliquias. De tota regione litorali hucusque exposita id nunc animadvertas oportet, ipsam nec aliquid omnino continuum componere, neque ex toto uni subesse principi. Cum vetus enim respublica ragusina hinc a Dalmatia veneta, illinc ab Albania ejusdem nominis per duos terrae tractus Turcis subditos disterminaretur, factum est, ut postea Dalmatiae limitibus Antibarim (2) usque protractis, ac idcirco ragusina ditione Dalmatiae restituta, hujusce provinciae continuitatem tum quoad nomen tum quoad dominium tractus illi interciderent; quorum alter Ragusium separat a Dalmatia veneta *Klek* nuncupatus, alter ab Albania *Suttorina* dictus.

Insulae Dalmaticae occasum propius incipiunt quam continens hactenus delineatum; quae, veluti totidem contra aestus marinos propugnacula, portus ac litoris bajas opportune tuentur, atque ita magno in numero, ut Cycladum adriacarum nomine veteribus appellarentur. Et sane pertingunt ipsae ad gradum usque 45° 0′ 30″ latitudinis, longitudinis autem nonnisi 12° 20′ 21″. Harum insularum primae, ab occidentali parte enumeratae, sunt antiquae Brigeides, vel lapidicae vel Apsyrtides (3) ab Apsyrto Medeae fratre ibi interfecto, vel ab ejusdem corpore ibidem delato sic appellatae; sub quibus nominibus comprehenduntur, praeter minores, Crexa, Apsyrtium, Vegium et Arba (4). Has contra *Onie* et *Sansego*, quarum ultima in tabula Peutingeriana *Eukomin* dicitur (5). Dein insula Gissa quam prospectant *Selbon* et *Aloep* Porphyrogeniti, nunc *Selve* et *Ulbo*. *Pernuda* est Palmodon Peutingerianae. Portunata Plinii non est Gissae epitheton, uti cl. Harduinus sibi persuasit (6), sed insula distincta nunc *Pontadura* appellata, cui

---

(1) Ejusdem situs juxta Lucium nunc dicitur *Chljucich*, juxta Lovrich *Trojan-grad*. Vide *Osservazioni di G. Lovrich. Venezia* 1776. *p.* 39.

(2) Nunc *Antivari*, nomine ducto ex eo, quod contra Barium posita sit.

(3) Nunc *Isole del Quarnaro*. De variis harum nominibus consule cl. Fortis in suis Observationibus ad easdem spectantibus, cap. I.

(4) Crexa Plinii est Κρέψα Ptolemaei, hodie *Cherso*; Apsyrtium est Ἀψυρτίδες ejusdem auctoris, Auxerum et Auxeros aliorum, hodie *Ossero*; Vegium est Κυιακτικὴ Strabonis, Κουρικτὰ Ptolemaei, Βίκλα Porphyrogeniti; hodie *Veglia*; Arba est Σκαρδῶνα Ptolemaei, hodie *Arbe*.

(5) Kreglianovich *Memorie pella storia della Dalmazia* 1. *p.* 39.

(6) In nota XX. ad cap. XXV. lib. III. T. I. historiae Plinii ab ipso editae Parisiis MDCCXXIII.

Digitized by Google

e regione Meleta Porphyrogeniti, hodie *Melada*. Contra Jaderam Lissa (1) a continua *Pasman* angusto euripo divisa. *Pasman* excipit Lumbricata Porphyrogeniti, nunc *Vergada*, quae forsitan eadem est ac Arva tabulae peutingerianae. E conspectu Lissae insula *Grossa*, ex illo insulae *Pasman* insula *Coronata*, pluribus occasum versus circumdata scopulis, qui cl. Kreglianovich visi sunt insulae Creteae vel Grateae Plinii. Has omnes excipiunt Celadussae ejusdem auctoris, vulgo *Scogli di Sebenico*, inter quas Colentum (2), *Parvich*, *Zlarin*, *Capri*, *Smolan*, aliaeque minores. Ultima insularum liburnicarum, sub quo nomine intelligebant veteres insulas omnes hactenus enumeratas, est Surium (3), licet eodem nomine late usus sit Strabo, ad designandas nimirum Issam etiam et Phariam, que potiori jure inter dalmaticas stricte sumptas recensebantur; ex quo ipse insulas liburnicas quadringentas esse tradidit. Inter insulas Dalmatiae orientales veniunt *Zirona* contra Tragurium; Bavo (4) huic urbi ligneo ponte conjuncta; Solentum Peutingerianae (5), melle celeberrimum, contra Spalatum; Brattia (6) contra litus Spalato Mucaroque interjectum; Pharia (7) inter Brattiam atque Corcyram, Melaenam cognominatam (8); adversus Phariam Jssa (9); Corcyram excipit Ladesta (10); dein vetus Pleraeorum sive Piraeorum regio, peninsula *Sabbioncello* dicta (11); Melita (12) catulis antiquitus nota, nunc ob subterraneos fragores tonitruum sonitum referentes infaustam celebritatem adepta; ac demum Elaphites, quae tres tantum Plinio, revera tamen quinque, nempe *Uratnik*, Clia sive *Jaklian*, Tauris sive *Giuppana, Isola di Mezzo*, et *Calamota* (13), quibuscum notabiliores Dalmatiae insulae finiunt. Ladesta et posteriores ragusinam ditionem respiciunt, ejusdemque reipublicae legibus obtemperabant.

---

(1) Nunc *Uljan*, quae videtur Catautbrenum Porphyrogeniti. *V.* Kreglianovich *loc. cit.* I. p. 141.

(2) Hodie *Morter*.

(3) Nunc *Zuri*.

(4) Harduinus in Plinii capite XXX. p. 181. legit: *Contra Tragurium Bavo: et capris laudata Brattia.* Alii vero: *Contra Surium bubus, et capris laudata Brattia;* ex qua ultima lectione, ac varia interpunctione factum est, ut aliqui, inter quos Fortis, vocem *bubus* pro insulae nomine habuerint. Insula nunc *Bua* vocatur, et est *Boa* Porphyrogeniti, *Boas* Ammiani.

(5) Hodie *Solta*. Est Ὀλοῦσα Scyladis Cariandeni.

(6) Est Κράτια Scylacis, Βρέττια Polybii, Βάρτζα Porphyrogeniti: nunc *Brazza*.

(7) Φάρος Scylacis, nunc *Lesina*.

(8) Hodie *Curzola*.

(9) Nunc *Lissa*.

(10) Ladesta Stephani, Ladestris Peutingerianae, Lastobon Porphyrogeniti, Ladeston vel Ladoston graecorum est insula nunc *Lagosta* dicta. *V.* Appendini *Notiz. ragus.* 1. *p.* 283.

(11) *V.* Appendin. *loc. cit. p.* 288.

(12) Nunc *Meleda*.

(13) *V.* Append. *l. c. p.* 256.

Digitized by Google

Ex hucusque dictis clare elucescit, praesentem Dalmatiam constare ex veteri Dalmatia veneta ditiones antiquarum republicarum Liburnicae Dalmaticae et Issaeae comprehendente, ex republica Ragusina, et ex illa Albaniae parte, quae venetae olim nomine veniebat, nunc vulgo *Bocche di Cattaro*. Provincia igitur nostra, a Flanatico ad sinum Rhizonicum (1) patens, complectitur omnem antiquae Dalmatiae partem cisalpinam, dum transalpina hodie tripliciter dividitur; in Croatiam nempe quae pars ejusdem septentrionalis, in Moesiam sive Bossinam (2) quae media, et in Herzegovinam quae orientalis e veteri Zaculmia, Tribuniaeque parte composita (3).

Occidentale Dalmatiae confinium constituit procellosus ille sinus inter orientalem Istriae oram Japidiamque maritimam positus, ab antiquis Liburnicus dictus quia veterem Liburniam a conterminis regionibus separabat, Polaticus ob proximam urbem Polam, Flanaticus a populis Flanatibus antiquam Flanonam incolentibus, Carnicus denique ab Alpibus Carnicis; a quo certe ea derivata esse vulgaria nomina videntur *Carner*, *Quarner*, et *Quarnaro*, quibus in praesentiarum gaudet. Septentrionale efficiunt montes illi ab antiquis Alpes Bebiae et Ardiae appellati, qui Dalmatiam a Croatia et Bossina dividunt. Orientale Herzegovina, Mons Scodrus (4) atque Antibaris ditio in Turcarum Albania. Meridionale mare Adriaticum, atque e regione inferior Italia. Dalmatiae limitibus sic constitutis, ipsius longitudo ad tercentum et quadraginta milliaria extenditur; latitudo media ad XXV; maxima ad L; tota denique ejusdem superficies in septem circitur vel octo mille milliarium quadratorum spatio consistit (5). Superficies haec in plures variae altitudinis montes assurgit, quibus in totidem dividitur valles; cunctis altiores sunt ii qui Dalmatiam a Croatia secernunt et ab europaea Turcarum regione. Alpes Bebiae (6) ex Juliis quodammodo descendentes, origine ducta ab Arsia flumine, vel juxta alios a Tersatica (7), antiquae Japidiae litus veluti comitantur, usquedum Tedanii fontes pertigerint: secernunt igitur Japidiam maritimam atque initium Dalmatiae a Croatia interiori. Perpendicularis earumdem altitudo pedum vindobonen-

---

(1) Nomine ducto a propinquo Rhizinio (*Risano*). Sinus nunc dicitur *Golfo di Cattaro*.

(2) *V.* Appendin. *Notiz. ragus. I. p.* 148.

(3) Idem eodem loco p. 93.

(4) Nunc *Monte-nero*.

(5) Consule cl. equitis J. L. Garagnini opus, cui titulus: *Riflessioni Economico-Poliche sopra la Dalmazia. MDCCCVI. p.* 26. et sequentes. Cl. huic Viro me de antiquis montium nominibus notiones non ita paucas, grato animo, debere profiteor.

(6) Nunc *Vellebich*, *Montagna della Morlacca*.

(7) Etiam Vitopolis dicta, hodie *Fiume*.

Digitized by Google

sium IV.MXCII (1). Harum autem non nisi is montium tractus dalmatis adsociandus, qui inter confinium continentis et Tedanii ostium attollitur, cum reliqua alpium catena ad veterem Japidiam spectet. Praecipuos Dalmatiae montes efformant Alpes Ardiae vel Adriae ex Alpibus Dinaricis derivatae, nec Bebiis altitudine minores; quarum initium ab occasu prope Titii scaturiginem; dein in plures abeunt montes vallibus intersitos, a septentrione in orientem dispositos, ac prope Naronis ostia desinunt. Ex hujusmodi montibus plures mediterranei sunt, aliqui litorales; quorum primi catenam contexunt Dalmatiam a Bossina discriminantem. Pleraque juga, quibus haec catena componitur, propriis nominibus designantur, ac si ea enumeres eodem ordine quo ab occasu ad ortum occurrunt, sequentia invenies: *Ersovaz*, *Kozjak*, *Ghnjat*, *Dinara*, *Prologh*, *Gradina*, *Prolosaz*, *Vissok*, atque alia minora. Ex hisce praecipuis alii etiam montes in intimo provinciae gremio gigni videntur, uti sublimes *Svilaja* inter latam planitiem *Petrovopolje* dictam, et agrum Verliccensem ad III.M. pedum elati; humiliores *Promina* et *Mossech* ipsammet veluti concludentes; *Derven* et *Vissostizza* in agro Signiano, aliique. Montes litorales juga exhibent demissiora, uti *S. Elia* prope Tragurium: *Mossor* contra Spalatum, quibusdam Mons aureus dictus: mons ille praelongus cui *Poljzza* substernitur, et qui Montis aurei veluti appendix habendus: *Dinara* Onaeum supereminens inter Tilurum et mare, quam, cum alio ejusdem nominis monte inter limitaneos nuper recensito ne confundas, cave: praeruptus *Biokovo* Mucaro paene imminens, cujus inferior pars mare versus molli devexitate considens, graecis *regionis Parathalassiae* nomine veniebat, ac in tabula Peutingeriana *Inaronia* appellatur (2). In ditione Epidauria Mons Cadmaeus (3) Cadmi tumulo insignis, quem contra celebratae Rupes Harmoniae (4). Demum Ascrivii horrentia illa juga, quorum terminus Mons Scodrus, sive Mons niger. Praeter hactenus enumeratos, montes alii plus minusve editi undique extant tum in continenti tum in insulis, atque inter montes insularum is qui caeteris altitudine praestare videtur in Apsyrtio prominet ad duo pedum millia ac ultra (5). Omnes Dalmatiae montes una directione a septentrione ad orientem vergunt, nec sylvis vestiuntur nisi eo in latere quo regiones boreales atque oc-

---

(1) Confer opusculum cui titulus: *Memoria statistica sulla Dalmazia di Fr. Zavoreo. Venezia* 1821. *p.* 14.

(2) Nunc *Primorie.*

(3) Hodie *Snieſnizza.*

(4) Seu *Stine Konavoske.* De his et praecedenti vide cl. Appendinium in *Notiz. ragus. I. p.* 8.

(5) Fr. Th. Bartling *Dissertatio geographico-botanica de litoribus ac insulis maris Liburnici.* Hannoverae MDCCCXX. p. 18.

Digitized by Google

cidentales prospiciunt. Quoad eorum naturam, generatim calcarei sunt, majorum alpium sublimitatem nunquam aemulantur, atque ex parte meridiana ac maritima ita vi solis ventorumque calidiorum afflatibus arefacti, ut prorsus lapidosi, steriles atque omni vegetationis vestigio expertes sint. Lapis calcareus quo constant est fere ex toto illius generis, quod *marmor istricum* vel *dalmaticum* vulgo audit, corporibus in lapidem versis abunde scatens. Hoc ipso, prater montes, et insulae componuntur et continentis litora. Aliquando silicibus quibus ignis excuditur praegnans occurrit, uti in insula Solento (1). Obvia sunt marmora nobiliora in montium fastigio, quorum color multiplex ac varia structura. Inter haec, marmor traguriense veteribus celebratum fuisse, Plinius auctor est. Ea nunc quae pulchritudine et varietate fragminum quibus constant, ac soliditate materiae iisdem interlitae magis memorabilia videntur sunt quae in insula Arba, circa *Much*, Inaroniae, Phariae et Ascrivii effodiuntur. Marmoribus, quibus montium vertex componitur, substrata est massa quaedam argillacea, quo veluti fundamento innituntur: quamvis aliquando etiam in centro montium occurrat, uti in traguriensibus, in Monte aureo, in *Marljan*. Argillae hujusce continuitatem plerumque intersecant strata quaedam lapidis arenarii simplicis vel conchis referti. Strata montium aliquibus in locis phaenomena exhibent notatu dignissima, ac primum a cl. Fortis animadversa. Inter Spalatum et Mandetrium, ac prope Titii originem formam arcuatam praeseferunt, ita tamen, ut concava eorundem pars coelo obvertatur. Inter Sibenicum atque Scardonam, loco *Suppliastina* dicto ob rupis apicem perforatum, strata verticalia videntur, ex eo forsitan quod verae stratorum divisurae ab interjecta materie fere obstructae sint ac deletae, atque e contra lenta et perennia aquarum stillicidia a rupis summitate ad basim fluentia plures rimas verticales cavaverint, quae progressu temporis totum lapidis corpus in frusta longitudinalia diviserint, ex quo illa stratorum verticalium species atque fallacia. Neque alia ex caussa derivari debet, judice Fortis, plane singularis illa saxorum quadratorum regulariter insimul in muri modum connexorum digestio, quae cernitur circa *Duare*, et *Rogosnizza* Mucarensem.

Nec extinctorum vulcanorum reliquiae desiderantur. Inter Titii catarractam *Topolje* dictam et Tininium, nec non in agro *Kossovo* nuncupato plures adsunt colles vulcanici; vulcanique inditia exhibet insula *Pelagosa* scopulique eamdem circumambientes.

Gypsi colliculus eminet in agro Signiano trans pagum *Karakasizza*; colliculus arenae siliceae (vulgo *Saldame*) vitris conficiendis aptissi-

(1) De his et sequentibus confer observationes a cl. Fortis expositas in operibus superius citatis.

Digitized by Google

mae in insula Arba, atque ejusdem fodina in Issa. Cumque de fodinis sit sermo, praemonendum, quod licet ferri praebeant inditia mons *Promina* in agro Tininiano, et *Derven* in Signiano, in praesentiarum tamen nullius generis apud nos effodiuntur metalla. Quod ad aurifodinas pertinet, quarum apud Plinium, Florum, Martialem ac Statium mentio est, cum nullum hodie adsit hujusce metalli in montibus nostris vestigium, cum Fortis tute opinari credo eum qui putet, fodinas hasce in veteris Dalmatiae parte transalpina nunc Turcis subdita extitisse, ubi etiam nunc sunt argentifodinae aliquae. *Lithanthrax* et Ampelitis adest prope *Sign* loco *Gipalovo Vrillo*. In insula Boa, ad pagum *Vergoraz*, et ad pedem montis *Rab* prope *Slivno* e rupium rimis piceum guttatim exsudat bitumen.

Neque silentio praeteream marmoris statuarii pulcherrimi lapidicinas in ditione Naronitana prope *Comin*, et praesertim in insula Arba occurrentes, cujus postremae marmor clarissimo Fortis visum fuit nil Carrariensi deterius.

Marmor autem vulgare sive Istricum, quod habetur praecipue e montibus Traguriensibus et Brattiensibus, innumeris marinis corporibus in lapidem induratis abundat, inter quae facile agnoscas *Turbinites*, *Orthocerata*, *Nummalia* seu *Discolitha*, *Chamites*, *Echinites*, *Buccinites*, atque alia complura passim obvia tum in continente dalmatico, tum in insulis. *Ichthyolitha* et *Phytolitha* inveniuntur in insula Pharia, suntque laminis sive stratis subtilioribus interposita marmoris cujusdam albidi, quo tum vias sternere, tum pauperum tecta munire solent. Sed quae inter naturalis historiae peritos ad celebritatem usque pervenere, sunt ossa fossilia in omnibus provinciae insulis copiosa, ac terra quadam obducta compacta rubra ac ferreis particulis foeta. Haec ossa olim corporum humanorum reliquiae quibusdam videbantur, nunc vero probabiliori sententia ad animalia vel deperdita vel certe in provincia nostra hodie deficientia pertinere arbitrantur.

Postremo in montibus dalmatis observari merentur eae frequentes atque inexpletae voragines in eorundem visceribus longe lateque hiantes, quarum origo vel ex eo, quod tellus ipsa violentis concussionibus quassata subsiderit, vel ab aquarum lenta sed continua erosione repetenda. Plures adsunt in insula Apsyrtide; magna quaedam caverna prope *Verlika;* alia C. circiter pedes a prima Tiluri fonte dissita; altera *Metaljavicca* dicta circa fluentum *Peruchia*, juxta quam alia *Ponikva* appellata: minores denique in montibus *Promina*, *Mossor*, et *Biokovo*, ita ut dici possit montes nostros alicubi vacuos esse, ac solo exteriori cortice ejusque fulcris constare. Sed inter speluncas dalmaticas celeberrima ea est, quam in Parthenia Epidauria (1) Aesculapii serpenti sa-

(1) Nunc *Pianura di Canali* V. Appendin. l. c. p. 32.

Digitized by Google

crum praebuisse cubile, veteri ex traditione, confabulantur. Et de montibus satis.

Sylvae dalmaticae, ratione habita montium frequentiae, non ita magnae, nec densae, neque copiosae sunt, ut prima fronte videretur, et quales antiquitus. Lucos, quibus olim Dalmatiae montes obducebantur, ferrum et ignis absumpsit. Inter eos qui supersunt nominare vix licet sylvas insularum Vegii, Crepsae, Gissae et Corcyrae Melaenae, et montium *Biokovo*, *Svilaja* et *Prologh*. Caedui nemoris reliquiae virent adhuc circa pagum *Verpolje* in ditione Sibenicensi, circa Imotham, *Sign*, atque in insulis Pharo, Issa et Brattia; hae quoque tamen adeo hominum pecudumque aviditate vastantur, ut eas quotidie in pejus ruere videamus, ac brevi penitus interituras vaticinemur.

Dalmatiae solum generatim fertilibus annumerandum. Lapidosum atque collinum agros majori ex parte constituit Jadertinos, Sibenicenses, Ragusinos, Ascrivienses, plerarumque insularum. Ne tamen sibi aliquis persuadeat, solum hocce foecunditate destitui; quippe quod immo agricolae brachiis, durisque subactum ligonibus, oleis et vitibus opportunissimum. Inter fertiliores tamen atque uberiores Dalmatiae agros recensentur valles *Golubich*, Tininii, *Kossovo*, *Verlika*, *Dernis*, *Sign*; illa quae Scardonam ac *Possidaria* interjacet; quae inter *Stankovaz* et *Zemoniko*; quae inter *Vrana* et Aenonam; tractus ille litoralis, situs amoenitate praesignis, qui vulgo *Riviera di Castelli*; vallis Imothensis, ac vetus Parthenia Epidauria.

Hujusmodi provincia multis fluminibus pererratur, inter quae aquarum copia et celebritate eminent Tedanium, Titius, Tilurus sive Nestus, Hyader, Naro, et Arion (1). Tedanium, vetus Iapidiae terminus et initium Liburniae, effluit in Croatia ad pedes illius Alpium Bebiarum tractus, qui vulgo montium *Popina* nomine appellatur, procul a continentis confinio duodeviginti milliarium spatio; ab ortu ad occasum vergit, atque fluenti *Kruppa* vocati aliorumque minorum aquas excipiens, mare petit prope *Novegradi*. Titius, Liburniam inter ac veterem Dalmatiam limes, ex ampla erumpit voragine loco *Topolje* dicto, sub monte *Dinara*, a Tininio non ita longe; plurium torrentium undas admittit, nempe *Buttisniza*, *Radiljevaz*, *Orsanizza*, *Kossovçiza*, *Kerçich*, *Çikola* aliorumque; a septentrione ad occasum tendit, ac prope Scardonam urbem mari admiscetur, postquam novem e catarractibus ruerit; inter quas pulchritudine praestant illa quae ad *Roskislap* visitur, quaeque prope Scardonam viatorum allicit curiositatem. Tilurus e pede montium *Ghnjat* et *Dinara* octo per ora profluit supra *Verlika*,

(1) Nunc, eodem ordine enumerata, *Zermagna*, *Kerka*, *Cettina*, *Salona*, *Narenta* et *Ombla*.

Digitized by Google

quae statim in unum conveniunt alveum loco *Vrillo-Cettine* sive Fontes Tiluri appellato; aquis augetur torrentium rivorumque *Verlika, Dragovich, Dabar, Carno-Vrillo, Peruchia, Rumin, Malin, Voiskova, Karakasizza, Kosinaz, Ruda* et *Grab;* a septentrione ad meridiem vertitur usque ad pagum *Duare;* dein flectitur a meridie ad occasum; pluribusque catarractis fractus ac veluti fatigatus, inter quas meminisse juvat majorem atque minorem, *Velika i Mala Gubaviza* dictas, mari tandem quiescit sub urbe Onaeo. Hyader, Lucani versibus celebratum, oritur sub *Mossor,* ac brevi et placido excursu in mare delabitur. Naro (1), amnium dalmaticarum maximus, e gremio montis *Suljaga* in celsissimum cacumen elati, ac Bossinam ab Herzegovina discriminantis, originem ducit; Dalmatiam ingreditur prope *Metkovich;* eam alluit a meridie ad occasum; fluminumque minorum, quae dextrorsum *Norin, Vratar, Vriostiza,* et *Nevo,* sinistrorsum *Bilvir, Mislina* et *Prugnach,* aquis locupletatus, circa *Fort'Opus* in duos scinditur ramos, ac dein per ora tredecim, quorum undecim fere obstructa, in mare influit. Arion ex alta enascitur caverna V. circiter milliarium spatio a Ragusio dissita, ragusinam ditionem praeterfluit, ac prope *Gravosa* lenis illabitur mari. Hisce praecipuis adde fluvios minores Dalmatiam rigantes, qualis rivus Tragurienses paludes alluens et a monte *Karban* exoriens; *Xernovniza* ad pedem *Mossor* scatebras habens, ac prope Epetium desinens; *Suttorina* a terrae tractu cognomine qui Ragusinam ditionem ab Albania dividit originem ducens, ac in sinu Rhizonico se se exonerans; fluenta denique Ænonae, *Verlika, Glavina, Goduchia, Kakman,* pleraque alia.

Nec desunt aquae medicatae, salibus terreis metallicisque imbutae, uti praesertim videre est Spalati, ad pagum *Verlika,* in agro Signiano, et in Inaronia.

Plures in Dalmatia offenduntur lacus, nempe *Jezero* in insula Crexa; quinque in ditione Jadertina, scilicet parvus ille sinus qui *Mare di Novegradi* audit, per quem Tedanium mare petit, lacus *Karin* prope *Novegradi,* lacus *Boccagnazzo* prope Jaderam, lacus *Vrana* a mari, quocum subterraneis meatibus jungitur, angusto terrae tractu distinctus, et *Nadin;* duo in ditione Scardonitana Titii aquis completi, nempe *Vissovaz* et *Proklian;* totidem in Sibenicensi, nimirum *Zablachie* et *Morinje;* in agro Signiano lacus *Krign* dicti; in Imothensi *Prolosaz;* circa *Vergoraz* lacus *Rastok, Jesevaz, Jezero,* et *Bachinsko Blatto,* quorum primus caeteris altior, ac idcirco aquae ex ipso in *Jezero,* a *Jezero* autem partim in *Bachinsko Blatto,* partim in Naronem flu-

(1) Πόρφυρος Porphyrogeniti.

Digitized by Google

vium effunduntur. Plerique tamen ex hisce lacubus stagni nomen potiori jure merentur, quippe qui perennibus aquis carent, sed hyeme repleri solent, aestate vero siccari.

Paludes denique nimis magnae ac frequentes maximam planitiei dalmaticae partem sibi vindicant, agrosque uberrimos culturae subducunt. In ditione Jadertina recensentur palus Aenonae, *Vrana, Sardovan, Morpolazza* et *Ostrovizza;* circa Tininium palus ejusdem nominis et *Kossovo;* circa *Sign* vastae paludes loci *Trigl* dicti; circa Imotham fertiles lateque patentes agri *Prolosaz* et *Ottoch* stagno *Prolosaz* et fluento *Verlika* inundati, ac postremo amplissimae paludes Naronitanae. Paludibus ex aquis pluviis fluvialibusque conflatis naturali nexu junguntur salinae, quae pro totidem marinis paludibus habendae sunt. Harum quaedam occurrunt in litorali et in insulis tum naturales, tum arte paratae, inter quas principem locum tenet salina insulae Gissae. Quibuscum topographiae dalmaticae leviter hucusque expositae finem faciam, non sine spe aliqua, praecipua hec, quamvis tenuia, provinciae lineamenta id saltem utilitatis esse praestitura, ut botanico viatori locorum indicem praebeant, lectori nostro situm natalem stirpium hoc in opere recensitarum accuratius designent, dalmatis denique Florae amorem insinuent, ita ut non sit forsitan defuturus qui, ex cognitione naturae multiplicis et mirae propemodum varietatis in solo patrio ludentis, vegetationis etiam divitias quodammodo vaticinans, dalmatam Floram sibi conscribendam suscipiat; cui operi si me incitamentum aliquod praebuisse sentiam, hoc uno in praemio laborum meorum voti compos acquiescam.

Anni tempestates in Dalmatia mitissimae. Hyems raro nivibus albicat, quae planitiem fere nunquam pertingunt, ac tempore excepto, quo rigidus, siccus ac vehemens aquilo e turcarum regione in dalmatam oram ruit, aeris temperiem potius autumnalem diceres quam hyemalem. Quin immo hyems Dalmatiae ab hyeme neapolitano non multum abluderet, ni saepe saepius gelidis diuque perdurantibus ventis aquilonaribus repente crudesceret: qui tum inopino frigore quo plantas corripiunt, tum effraena vi qua in ipsas ingruunt, non solum eas enecant, verum etiam ab imis evellunt radicibus lateque projiciunt, nulli parcentes, immo in vegetiores, proceras, firmiusque solo illigatas vehementiori saevientes impetu. Tantam aquilonis vim, qua in Dalmatiam ac mare subiectum, maximo cum agricolarum damno et navigantium periculo, furit, ea potissimum de causa oriri arbitror, quod ob demissa montium limitaneorum juga provinciam nostram a contermina Bossina disterminantia, unde saevus ille oritur, nullum vel parvum suis objectum excursibus offendat; dein inter vallium angustias montibus mediterraneis intersitarum vires capiat, quo violentior in litus irruat, ac quaecumque viam secus extent obstacula quatiat, diffringat, evellat, eripiat. Attamen ipsa in hyeme sereni et mitissimi renident dies vernalibus omnino compa-

Digitized by Google

rabiles. Hisce vero crebriores, Noto dominante, sunt dies nubili, atque in hac anni parte imbres copiosi et frequentes.

Ver precox: plantae enim vernales, quo primum favonii hybernum molliunt coelum, florum ornatu condecorantur, quod usuvenit jam a mense Februario: immo amygdali florere solent ad Decembris exitum vel Januario ineunte, quamvis hujusmodi flores perraro fructus ad maturitatem perducant, eo quod improvisis aquilonis afflatibus arefacti frequenter decidant. Hac in tempestate rarioribus et praecipuis Flora nostra plantis luxuriat; nudarum etiam rupium fissurae floridis plantularum caespitibus induuntur; saxosi colles atque agri graminibus herbulisque mox deperituris ornantur; tota denique tellus omni vegetationis pompa superbit, ac renidenti quodam virore juvenescit. Majo finitur tempus hocce pulcherrimum, quod excipit aestas longa, fervida et sicca. Haec enim ad Septembris finem producitur et ultra, ni autumnales pluviae aeris solique ariditatem expleant, ac rupium saxorumque calor pene igneus affusis aquis aurisque mitioribus leniatur. Imbres in aestate perpauci, nimbi non ita multi; siccitas igitur fere quotannis dalmaticam vegetationem exurit. Cujus flagelli caussas sedulo investiganti ea primum obversatur, quae in sylvarum paucitate consistit. Sylvae enim terrestres exhalationes in nubes cogunt, coactasque attrahunt atque in pluvias resolvunt; calorem loci ubi virent mitiorem reddunt; coeli imbres solique humores morantur; fontes alunt; aqueos emanant vapores aeris siccitatem lenientes: quibus omnibus probe concordat constans illa physicorum observatio qua evincitur, regiones latius nemoribus obumbratas frigidiori gaudere temperie, et copiosioribus majoribusque fluviis rigari. Caussae huic praecipuae adde ventorum aquilonarium vim ac frequentiam, qua nubes dissipant, terramque arefaciunt; ardorem climatis hujusmodi arefactioni apprime faventem, quin ipse roris copia ereptis humoribus pari solum rependat; fontium inopia iis in locis, ubi magis expedirent, ob montium humilitatem, ac scissilem lapidis, quo costant, naturam; quapropter aquae in ejusdem anfractibus rimisque dispersae in magnum nequeunt coire corpus, ac flumen fontemve componere, saltem supra mare. Hyemis etiam brevitas, niviumque parcitas perpaucam tantum aquae copiam in montium gremio colligi sinit, cui certe tribuenda est rivorum calidiori in tempestate defectio. Soli denique indoles saepius lapidosa, ac idcirco morandis aquis inepta, amittendis vero valde proclivis, aestivae siccitatis caussis annumeranda, etiam ex eo, quod lapides solis repercussione calorem augeant, ac reliquum quoque plantarum succum, aucta transpiratione, surripiant. Quibus de caussis fit, ut quamvis ventus occidentalis fere periodicus quotidie ante meridiem spiret coelumque refrigeret, saeviente tamen canicula, non herbae annuae tantum depereant, perrenesque omni viriditate expolientur, sed frutices arboresque ipsi quocumque vernalis amictus vestigio destituan-

Digitized by Google

tur, ac deficiente succo omnis torpeat vegetatio, eodem pene gradu, quo contraria de caussa in hyeme obvenire solet. Hinc frequens ille in plantis aestivis seminum abortus, foliorum ariditas vel defectus, ac siccus, contractus, pilosus earundem stirpium aspectus.

Autumnus apud nos sero incipit, imbribus scatet, Notoque dominatur. Attamen, brevi licet temporis spatio, non raro amoenitatem induit ac pulchritudinem prope vernalem. Si nimis fervidam aridamque aestatem excipiat frequenter accidit, ut pluviis ingruentibus sopita expergatur vegetatio, humorum ascensus excitetur, turgescant gemmae atque in folia floresque evolvantur, immo stirpium biferarum more, in fructus abeant, qui vero adventante hyeme exsiccantur.

Ex iis, quae hucusque de anni tempestatibus leviter perstrinxi, quaeque de provinciae situ praefatus sum, cuique patebit, quodnam sit clima nostrum, quaenam dalmatici coeli temperies. Geographica ejusdem latitudo graecae hispanae latiaeque paene compar; ejus positio in meridianum solem obversa; montium colliumque ordo, qui in plures series a septentrione ad ortum digesti, soli superficiem in totidem valles fere meridionales dispertiunt, inter primas veniunt caussas climatis suavitati faventes. Alpes Bebiae a Boreae incursibus Dalmatiam tuentur. Montes ejus, si quosdam e limitaneis excipias, alpium celsitudinem nullibi aequantes, paucis rarisque nivibus obducti, ac molli et resupina devexitate in planitiem descendentes, coeli calorem nequaquam minuunt; quin etiam cum meridionali ex parte nudi sint, ac ideo solis ardorem promptius concipiant, vehementius reverberent, amittant segnius, aestum augent. Et revera, quicumque perpendat animo tum vegetabilia in Dalmatia crescentia, tum reliquas soli dalmatae productiones, facile sibi persuadeat oportet, clima nostrum nulli ex Europae australioribus inferius esse. Botanici enumerationem nostram plantarum dalmaticarum lecturi, plurimas apud nos oriri plantas agnoscent neapolitanas, siculas atque barbaricas; plures Galliae meridionalis, Hispaniae ac Lusitaniae proprias; permultas Graeciae indigenas, Palaestinae atque Aegypti. Ora Dalmatiae maritima, et colles in eadem positi mollibus olentes myrtis; montes oleis, amygdalis, malisque punicis consiti; sepes aeternis virentes lauris; steriles quoque rupes glaucis spinosisque *Agaves virginicae* caespitibus exornatae; amnium ripae roseis Oleandri floribus hilaratae; viridaria asiaticas Citros, indica Aurantia, *Schinum* Peruviae, *Mimosam Farnesianam* et *Cactos* Americae meridionalis sub dio prosperrime alentia, coeli dalmatici suavitatem testantur. Lentisci insuper masticen sponte exsudantes, Orni manna haud quaesita fluentes, Palmae non suo in coelo maturos dactylos admirantes, vinorum denique varietas, robur ac sapor, fructuum omnium exquisita dulcedo, herbarum medicinalium vis et aroma, extremum ac maximum constituunt argumentum, quo felicissima climatis natura probatur. Ex quibus sponte

Digitized by Google

fluit, quaenam sit etiam vegetatio nostra, nempe regionibus orientalibus affinior ac caeteris, et inter illam Italiae meridionalis et Graeciae veluti media; quippe quae, praeter proprias, sibique tantum naturae munere traditas stirpes, alias etiam contineat haud ita paucas, nullibi usquedum nisi in earundem regionum confiniis inventas.

Reliquum est, ut ea pauca quae de Florae dalmaticae historia hactenus colligere licuit, proferam, eorumque labores, qui plantis dalmatis inquirendis describendisque sedulam navarunt operam, chronologico exponam ordine, debitoque honore rependam. Et, ne haec etiam operis pars omni prorsus careat utilitate, cuique botanico, cui Dalmatiam contigit explorare, catalogum addam vegetabilium ab ipso in eadem lectorum, quem excerpam ab ejusdem operibus si edita et mihi nota, vel a botanicis ipsis mecum humanissime communicatum grato animo ac lubentissime in lucem edam. Quo fiet consilio, ut hic lectores habeant omnia aliena inventa de plantis dalmaticis, in operis autem catalogo, tantummodo mea.

Antiquior inter botanicos, quos mihi certe constet Dalmatiam invisisse, est Antonius Musa Brasavola, Venetus patricius, et medicus ante dimidium saeculi sextodecimi doctrina praeclarus, cujus extat opella: *Examen omnium simplicium medicamentorum*: primum Lugduni edita anno MDXXXVII, dein Venetiis MDXXXIX, ac demum Londini MDXLIV. Alphonsi I. Ferrariae ducis, et postea Herculis II. servitio addictus plures Europae partes lustravit, quos inter cum Alphonso Dalmatiam, ubi praecipuam posuisse curam videtur in invenienda *Iride illyrica*, Theophrasto, Dioscoride, Nicandro et Galeno celebrata, quae *Iris germanica* Linnaei. Sub hoc tamen nomine plures ipse coacervavit species, uti ex sequentibus patet. = Quum vero annis elapsis cum illustrissimo Alphonso duce nostro in Illyrico essem, Irim plures colores habentem quaesivi, et inveni; erant quidem in diversis individuis varii. In aliquibus candidi, in aliis pallidi, in aliis lutei, in diversis purpurei, ut plurimum vero coerulei visebantur; erat autem unus et idem flos variis coloribus insignitus (1). =

Brasavolam paucis post annis secutus est Aloysius Anguillara, primus Horti Patavini praefectus, vir plantarum cognitione clarissimus, qui in praestanti opusculo, cui titulus: *Semplici dell' Eccellente Messer Luigi Anguillara. In Vinegia appresso Vincenzo Valgrisi.* MDLXI: septingentas et amplius stirpes Dalmatiae proprias recensuit, observationibus illustravit, nominibusque illyricis auxit. Nemo veterum recentiorumve Anguillarae merita in Floram dalmaticam adaequavit; quapropter operae pretium gratique animi testimonium existimo, nominibus quibus

(1) V. op. cit. p. 247. ed. ven.

Digitized by Google

ille usus est synonima addere Linnaeana; cui labori viam sternent, remque alioquin pluribus implicatam difficultatibus faciliorem reddent, nomina illyrica ab ipso indicata, et adhuc etiam ab incolis adhibita, descriptiones ejusdem licet nimis breves, ac praecipue Sprengelii celeberrimi herculea sane *Rei herbariae historia.* Vol. I. p. 333 et seq. (1).

Anno MDCXCIV. Dalmatiae vegetabilia perscrutatus est infatigabilis Paulus Boccone, Cisterciensi ordini addictus, magnique Hetruriae ducis botanicus, uti constat ex ejusdem opere: *Museo di piante rare della Sicilia, Malta, Corsica, Italia, Piemonte, e Germania. Ven.* MDCXCVII. ubi sub pagina XXIII. *Chrysanthemi* nostri *Turreani* descriptionem exhibens, innuit se eundem in dalmatis insulis magna manu invenisse.

Sed non botanice tantum, verum etiam caeteris naturalis historiae partibus operam dedit Vitalianus Donati Patavinus, qui ab anno MDCCXLIII per quinquennium Dalmatiam omnem Drilonem usque peragravit, atque illinc plantas earumve semina celebri Pontederae, tunc temporis horti Patavini ornamento, excolendas transmisit. Paucarum stirpium in mare degentium et ab ipso circa Dalmatiam lectarum restat notitia in ejusdem opere: *Saggio della storia naturale marina dell'Adriatico. Venezia* 1750 (2).

Tunc quoque, vel parvo temporis intervallo Dalmatiam petiit Josephus Agosti, e Societate Jesu, Bellunensis, qui in opere: *De re botanica tractatus, in quo praeter generalem methodum et historiam plantarum, eae stirpes peculiariter recensentur, quae in agro Bellunensi et Fidentino vel sponte crescunt vel arte excoluntur. Belluni* 1770: quarundam plantarum in provincia nostra a semetipso lectarum sermonem fecit, uti in paginis 80, 87, 128, et 177 videre est.

Nec benemeritus Xaverius Wulfen, in suis peregrinationibus, Dalmatiae oblitus est, licet ejusdem limen tantum attigerit. Ibidem *Corydalidem capnoidem* legit, uti ipse in cl. Jacquini Collectaneis testatur (*vol.* 1. *p.* 173.) nec non *Conyzam candidam*, uti asserit cl. Persoon in *Synopside Plantarum* 2. *p.* 429.

Piget, etiam Dominicum Cyrillum, medicum neapolitanum ac botanicum celeberrimum, et meliori dignum fortuna, Apsyrtides tantum appulisse, nec reliquam perlustrasse Dalmatiae partem. Hic, cum cl. Fortis societate inita, mense majo anni MDCCLXX. Apsyrticae Florae divitias recensendas suscepit, ejusque catalogum in opere de iisdem insulis a Fortis conscripto inseruit *p.* 68. 70. (3).

At longe majorem praebuit stirpum dalmaticarum indicem comitas atque humanitas Viri spectatissimi Josephi Host, qui mense Martio anni MDCCCII. Dalmatiam pene omnem metitus est, a sinu nempe Flanatico ad Mucarum. Rarissimas invenit species, immo aliquot novas, quas posterioribus, et praecipue cl. Portenschlagio, describendas reliquit. Ad majorem Florae dalmaticae illustrationem, ineditum cl. Hosti catalo-

Digitized by Google

gum hic addere posse gaudemus, ac tanto pro munere Viro omni ex parte praesigni publicas effusasque grates persolvimus (4).

Nec multum ab ipso temporis abfuit nobilis Vir Joseph de Seer.us, qui, eodem suscepto itinere, plures collegit species, quas inter non nullas novas sibi visas, quarum omnium indicem vel descriptiones vide in opella: *Beschreibung einses Reise nach Istrien und Dalmatien vorzuglich in botanisches Hinsicht, mit einer Vorrede von H. D. Hoppe. Nürnberg.* 1805. Opusculo hocce nondum mihi viso, eas tantum stirpes indicare satagam, quarum mentio est in diario italico: *Giornale Bibliografico universale. Milano* 1807. *T.* 1. *p.* 294-5: nuncupato, et in cll. Römer et Schultes *Systemate vegetabilium.* Vol. II. et seq. (5).

Sed nulli, post Brasavolam, in Dalmatiam peregrinanti contigerat, ut magno Regi comes adjunctus nostram vegetationem inquireret, veluti anno MDCCCXVIII. sors dedit sane invidenda egregio ac immatura morte praerepto Francisco de Portenschlag, quem cum Franciscus I. Austriacus Imperator et Rex semper augustus Dalmatiam invisendam susciperet, in botanicum accire dignatus est. Nec tanto muneri imparem se se ostendit cl. Vir: multas enim rariorés stirpes collegit, multas adhuc incognitas detexit, ex quibus arduum moliebatur Florae dalmaticae opus. Ne vero laborum suorum omnis deperiret fructus atque memoria, cl. Trattinnick plantas novas describi, ill. Welden easdem aere incidi curarunt, atque in lucem edidere primum in Diario germanico: *Archiv für Geschichte, Statistik, Literatur und Kunst* anni MDCCCXXIV. n.° LVI et LVII; dein seorsim in opella, cui titulus: *Enumeratio plantarum in Dalmatia lectarum a Francisco de Portenschlag-Ledermayer. Vindobonae. Anno* MDCCCXXIV (6).

Eodem denique anno Apsyrticas plantas accurato subjecit examini cl. Fr. Theophilus Bartling, atque observationes in easdem institutas publici juris fecit in opusculo inscripto: *De litoribus ac insulis maris liburnici dissertatio geographico-botanica. Hannoverae* MDCCCXX. Post quinquennium de iisdem plantis quaestionem fecit in altera parte operis germanici, cui titulus: *Beitrage zur Botanik von F. G. Bartling und H. L. Wendland:* Gottingae editi anno MDCCCXXV. Atque hic desinit botanicorum series, quos certe scio Dalmatiam investigasse (7).

Alii vero plantas Dalmaticas descripsere sibi communicatas, quos inter ab antiquis exordiens nominabo Mathiolum, qui Lycium dalmaticum a *L. europaeo* differre autumavit, ficta icone deceptus ac ad Dioscoridis descriptionem vituperabili artificio accomodata a quodam Ioh. Bapt. Balestro tunc temporis Jadertino pharmacopola, et Mathiolo missa; Camerarium qui in *Epitome de Plantis* ait, *Nardum montanam* sive *Valerianam tuberosam* in Dalmatia inveniri; Casparem Bauhinum qui in *Phytopinace* primus *Linariam dalmaticam* indicavit sub nomi-

Digitized by Google

ne *Linariae latifoliae magno flore*, quam postea descripsit in *Prodromo*. Iacobus Zanonius in sua *Historia botanica* Bononiae edita anno MDCLXXV. plures plantas e dalmaticis ortas seminibus illustravit, nempe *Rumicem tuberosum*, *Conyzam candidam* L., *Celsiam orientalem*, *Centauream ragusinam*, *Linariam dalmaticam*, *Malvam parviflorum*, *Thlaspi saxatile*, *Chrysanthemum Turreanum*, aliasque paucas. Hermannus in Horti Lugduno-Batavi catalogo descriptionem et iconem praebuit *Andryalae ragusinae* et *Euphorbiae spinosae*. Millerus in *The Gardeners Dictionary*, *Isatidem* quandam *dalmaticam* paucis descripsit, quae cel. De Candolleo visa est *I. tinctoriae* varietas. Arduinus in *Specimine altero animadversionum botanicarum*, duobus novissimis plantis dalmaticis amabilem scientiam auxit, nempe *Saponaria illyrica* et *Cerastio* cognomine, quarum semina e Dalmatia redux Arduino crediderat herbarius quidam ibidem missus, ea de caussa, a veneto patricio Philippo Farsettio. Novas denique Dalmatiae plantas descripsere et cognitas enumerarunt Vir clarissimus Nicolaus Host in opere celeberrimo: *Icones et Descriptiones graminum austriacorum:* e speciminibus ab ill. Ios. Host et D. Vaena ibidem lectis ac cum ipso communicatis; benemeriti Roemer et Schultes pluribus in locis *Systematis vegetabilium* juxta specimina cll. Virorum Portenschlagi, Schotti, aliorumque; ill. Trattinnick in sua *Synodo botanica* juxta eadem; egregius Reichenbach tum in *Iconographia botanica*, tum in *Horto botanico*, e speciminibus ill. Viror. Trevirani et Bartling, aliique complures.

Restat postremo, ut de botanicis peregrinationibus a memetipso per patriam institutis verbum addam. Autumno anni MDCCCXX. Sibenicensem ditionem peragravi, Traguriensis litoralem partem trajeci, Spalatensem agrum ac Dalmatiam montanam, cursim licet, invisi. Anno MDCCCXXII. eadem tempestate, et hyeme subsequenti accuratius a Sibenico ad Spalatum plantarum examen institui. Autumno MCCCXXIV. praeter loca indicata, Mucarum appuli, et Biokovum adscendi Portenschlagi inventis apud botanicos celebrem. Vere denique proxime elapso, sub impressione nimirum operis hujus, diligentius partem Dalmatiae litoralem lustravi, insulam Brattiam adii, Onaei rupes rarissimis laetas stirpibus investigavi, uberrimamque plantarum atque observationum messem collegi, qua et mutationes aliquas in operis textu ope adnotationum induxi, et materiem specimen alterum constituturam mihi comparavi. Quod non ita longo temporis spatio me prolaturum confido, ni docti recusent primum hocce studiorum meorum conamen suffragio prosequi, aequis animadversionibus perfectius reddere, et tum consilio tum humanitate juveni botanico animum addere, atque favere.

Digitized by Google

(1) Plantae dalmaticae ab Anguillara indicatae, cum synonimis Linnaeanis.

Iride dell' Illirio p. 17.	Iris germanica.
Nardo montano p. 23.	Valeriana tuberosa.
Terebinto p. 45.	Pistacia Terebinthus.
Ginepro a frutti grossi p. 46.	Juniperus Oxycedrus.
Savina a foglie di Tamarisco p. 46.	Juniperus phoenicea.
Seconda sorte di Rhamno p. 52.	Lycium europaeum.
Phillirea di Dioscoride p. 61.	Phillyraea laevis (*ex loci indicatione*).
Cisto maschio ib.	Cistus villosus.
Cisto femina ib.	Cistus salvifolius.
Agria p. 79.	Ilex Aquifolium.
Alaterno p. 85.	Rhamnus Alaternus (*ex loc.*)
Asparago di I. specie p. 113.	Asparagus acutifolius.
Crithmo p. 114.	Crithmum maritimum.
Smirnio p. 123.	Smyrnium Olusatrum.
Scariola selvatica p. 124.	Lactuca Scariola?
Draconculo minore p. 126.	Arum tenuifolium.
Aro p. 128.	Arum italicum.
Asphodelo di I. specie ib.	Asphodelus ramosus.
Chameleonte nero p. 139.	Carthamus corymbosus (*juxta Spr.*)
	Cnicus Acarna? (*ex loci indic.*)
Spina bianca p. 142.	Carthamus coeruleus (*juxta Spr.*)
	Echinops Ritro? (*ex descript.*)
Acarna p. 146.	Centaurea benedicta.
Leucacantha p. 147.	Carduus Casabonae.
Croco a foglia stretta p. 162.	Crocus odorus?
Absintio pontico p. 165.	Artemisia Absinthium.
Bupleuro p. 169.	Bupleurum baldense (*juxta Spr.*)
Arisaro a foglia stretta p. 176.	Arum tenuifolium? (*ex loc. indic.*)
Anemone di Teofrasto p. 179.	Anemone hortensis.
Anemone di Ateneo ib.	Anemone Pulsatilla?
Aphyllanthes p. 186.	Globularia vulgaris.
Gentiana p. 190–91.	Gentiana lutea.
Chamepeuce p. 202.	Camphorosma monspeliaca.
Meliloto p. 202.	Trifolium Melilotus off.
Pentafillo argentino p. 205–6.	Alchemilla alpina.
Helichriso di Crateva p. 206.	Amaryllis lutea? (*ex. loc. ind.*)
Coniza di Hippocrate p. 213.	Inula viscosa.
Molon di Plinio p. 215.	Allium nigrum.
Alcea p. 223.	Malva Alcea (*juxta Spr.*)
Scopa regia p. 226.	Chenopodium Scoparia?
Geranio primo p. 227.	Geranium robertianum.
Macaleb p. 228.	Prunus Mahaleb.
Horminum p. 234.	Salvia Horminum.
Securidaca p. 235.	Coronilla Securidaca.
Anthillide I. p. 237.	Cressa cretica (*juxta Spr.*)
II. ib.	Ajuga Iva.
Betonica p. 346.	Betonica officinalis. (*ex nom. illyr.*)
Epimedio p. 253.	Epimedium alpinum.
Echio p. 255.	Echium rubrum (*juxta Spr.*)
Sideritide I. p. 256.	Lycopus europaeus?
Cocco p. 260.	Quercus coccifera.
Altro Tragio p. 263.	Pimpinella saxifraga.
Therapidio p. 271.	Fucus Palmetta?) (*juxta Spr.*)
	alatus?)

Digitized by Google

Colchico p. 275.	Colchicum montanum.
Verbasco Lichnite p. 281.	Conyza candida (*ex descript. et loco nat.*)
Ethiopide ib.	Salvia Aetiophis? Sclarea?
Epipactide p. 282.	Lysimachia linum stellatum?
	Radiola Millegrana?
Mirrhide p. 284.	Chaerophyllum coloratum?
Staphysagria p. 291.	Delphinium Staphysagria.
Titimalo Characia p. 292.	Euphorbia Characias.
platifillo p. 293.	platyphyllos.
Epithimo p. 299.	Cuscuta Epithymum. (ex nomine illyrico, et ex descriptione, in qua tamen Cuscutam confundit cum planta cui innascitur).

De reliquis Dalmatiae plantis in opere Anguillarae enumeratis nec descriptis, vel admodum imperfecte, quasnam ille species sub earundem nominibus comprehenderit tute judicare nequeo.

(2) Plantae marinae a Vitaliano Donati inter dalmatas indicatae.

Ceramiantemo ramosissimo ecc. *Saggio della St. nat. Adr. p. XXVIII. Tav. I.* Fucus confervoides (juxta Spr.) F. confervoides μ. Bertol. Amoen. p. 232.

Androsace del Mattiolo. l. c. p. XXX. Tav. II. Olivia Androsaces Bertol. Tubularia Acetabulum Linn. (inter Zoophyta).

Virsoide con caule terete ecc. *l. c. Tav. III.* Fucus vesiculosus.

Acinaria con caule terete ecc. *l. c. Tav. IV.* Fucus salicifolius β. Bertol. Amoen. p. 220.

(3) Plantae Apsyrticae a Dominico Cyrillo recensitae in opere Alberti Fortis de insula Apsyrtide p. 68–70.

Cynoglossum lusitanicum *sive* Picotia? Fortisii Roem. et Sch. Syst. veg. IV. p. 87. Caucalis grandiflora. Ornithopus scorpioides. Scorpiurus muricata. Aparine, semine Coriandri saccharati, *sive* Valantia Aparine L. Echium vulgare. Althaea cannabina. Geranium ciconium. Lamium purpureum. Agrimonia Eupatoria. Gladiolus communis. Hyoseris Hedypnois. Brassica Eruca. Erysimum Alliaria. Orbanche, flore coeruleo *sive* O. ramosa. Solidago Virga aurea. Punica Granatum. Tamus communis. Dipsacus fullonum. Buphthalmum spinosum. Lithospermum officinale. Delphinium Consolida. Convolvulus althaeoides. Verbascum phoeniceum. Salvia officinalis. Laurus nobilis. Euphorbia amygdaloides, myrsinites, spinosa. Sorbus domestica. Vitex Agnus castus. Phillyraea latifolia. Juniperus communis. Vitis Labrusca, *sive* V. vinifera sylvestris. Onosma echioides, orientalis. Thlaspi saxatile. Cyperus sempiternus (*cujus*?). Prenanthes purpurea. Ruta graveolens. Lotus Dorycnium. Linum alpinum. Anethum Foeniculum. Hedysarum saxatile. Anthoxanthum odoratum. Asphodelus marinus *sive* A. ramosus. Alyssum montanum. Beta maritima. Arethusa neapolitana. Myrtus communis. Juniperus fructu rubro magnitudine conspicuo, *sive* J. Oxycedrus. Cistus salvifolius. Arbutus Unedo. Pistacia Lentiscus. Erica arborea. Ilex minor (*an var. Quercus Ilicis?*). Coronilla Emerus. Staphylaea europaea, *sive* S. pinnata. Prasium majus. Glycyrrhiza glabra. Lotus hirsutus. Solanum Dulcamara. Pistacia Narbonensis. Lathyrus Nissolia. Tamarix gallica. Bupleurum rotundifolium. Chenopodium Vulvaria. Galium. Lapsana Zacintha. Aegylops incurvata. Teucrium. Rubia peregrina. Cupressus pumila (*quid?*). Passerina hirsuta. Asperugo procumbens. Alyssum gemonense.

(4) Plantae in Dalmatia lectae anno MDCCCII. a Viro cl. Jos. Host.

Circa Ænonam, die XXV. Martii. Juniperus Sabina, Oxycedrus et phoenicea. Paliurus australis. Phleum echinatum. Quercus Ilex. Gnaphalium Stoechas. Erica arborea. Narcissus odorus. Scilla amoena. Ranunculus heterophyllus. Schoenus nigricans. Juncus acutus.

In insula Calogerà *prope Jaderam, die XXIX. Martii.* Hyacinthus comosus. Asphodelus ramosus. Arbutus Unedo. Euphorbia Characias. Anemone hortensis. Ophrys myodes. Pistacia Lentiscus. Fumaria capreolata. Cistus creticus et salvifolius. Narcissus Tazzetta. Viburnum Tinus. Asparagus acutifolius. Convolvulus althaeoides. Myrtus communis.

In agro Jadertino, die XX. Aprilis. Asplenium Ceterach. Geranium tuberosum. Asphodelus ramosus. Anchusa lanata. Echium parviflorum. Asperula arvensis. Salsola Hostii

Digitized by Google

Tratt. Anthemis Cota. Anthyllis Vulneraria fl. cocc. Artemisia coerulescens. Briza maxima. Schoenus nigricans et Mariscus. Agrostis interrupta. Phalaris utriculata. Sesleria elongata. Holcus halepensis. Bunias Erucago. Delphinium peregrinum. Capparis spinosa. Camphorosma monspeliaca. Coronilla Securidaca. Centaurea Crupina. Cerastium semidecandrum. Dianthus virgineus. Euphorbia spinosa. Erodium malacoides. Erigeron viscosum. Geranium columbinum, et pusillum. Hyacinthus comosus et botryoides. Herniaria hirsuta. Hippocrepis unisiliquosa. Lepidium petraeum. Juncus maritimus et acutus. Iris tuberosa. Lupinus albus. Poa rigida. Lycium europaeum. Melia Azedarach. Medicago carstiensis. Morus nigra. Saxifraga tridactylites. Spartium genistifolium. Sherardia arvensis. Ophrys sphegifera. Rhus Cotinus. Pistacia Lentiscus. Rubia peregrina. Ruscus Hypoglossum. Reseda fruticulosa. Stachys germanica. Rhinanthus Trixago. Seseli ammoides. Sideritis montana. Sonchus maritimus. Scorpiurus muricata. Secale villosum. Thlaspi saxatile. Tordylium nodosum. Tribulus terrestris. Valeriana echinata. Panicum hirtellum. Avena flavescens. Cyclamen Coum.

In scopulo S. Lucae, die XXV. Aprilis. Iris dichotoma. Prasium majus. Scorzonera humilis. Thymbra spicata. Teucrium flavum. Echium violaceum. Triticum junceum. Alopecurus agrestis.

In insula Vergada, *die XXVI., et XXVII. Aprilis.* Agrostemma coronaria. Arundo Donax var. Bryonia alba. Convolvulus althaeoides. Cytinus Hypocistis. Cistus salvifolius. Cytisus hirsutus. Coronilla coronata et Emerus. Celtis australis. Cynosurus echinatus. Ervum monanthos. Festuca serotina. Gladiolus communis. Hippocrepis multisiliquosa et comosa. Lotus cytisoides. Linum tenuifolium. Orchis coriophora, et Hostii *Tratt.* Ophrys Lingua. Ononis Cherleri. Pistacia Terebinthus. Polygala major. Pinus maritima. Quercus Ilex. Rhamnus Alaternus. Scabiosa Columbaria. Scrophularia Scorodonia et canina. Tamarix gallica et africana. Tamus communis. Anemone hortensis.

Sibenici, die XXIX. Aprilis. Astragalus incanus. Convolvulus althaeoides. Hyosciamus albus. Melia Azedarach. Conyza candida. Pinus Pinea. Vicia onobrychioides. Urtica pillulifera. Cheiranthus incanus. Cactus Opuntia.

Scardonae, die XXX. Aprilis. Hesperis lacera. Cytisus Laburnum. Leucojum aestivum. Iris sambucina. Crepis bursifolia. Hippophae rhamnoides. Valeriana coronata. Menyanthes trifoliata.

In insula Coronata, *die II. Maji.* Avena fragilis. Andropogon distachyum. Alyssum creticum. Atriplex portulacoides. Bupleurum semicompositum. Campanula Erinus. Coris monspeliensis. Lotus peregrinus. Lathyrus setifolius. Daucus Visnaga. Pastinaca Opopanax. Scabiosa maritima. Daphne Gnidium. Eryngium creticum. Erica arborea. Ononis minutissima.

In insula Pasman, *die III. Maji.* Oxalis corniculata. Tamarix gallica. Santolina rosmarinifolia. Aegylops ovata. Cichorium pumilum. Trifolium turgidum. Cardamine maritima. Astragalus aristatus.

In insula Oliveto, *die V. Maji.* Cistus salvifolius, creticus, monspeliensis. Linum maritimum. Chlora perfoliata. Marrubium supinum. Pistacia Lentiscus. Erica arborea. Viburnum Tinus. Smilax aspera. Asphodelus ramosus. Arbutus Unedo. Phillyraea media. Statice oleaefolia. Carduus leucanthus et pinnatifidus. Lotus hirsutus. Ononis reclinata.

Spalati, die VIII. Maji. Cotyledon Umbilicus. Cineraria maritima. Antirrhinum majus var. Vicia hybrida. Alyssum saxatile. Capparis spinosa. Laurus nobilis. Lycium europaeum. Micropus erectus. Parietaria judaica. Punica Granatum. Reseda phyteuma. Salsola Tragus, et Hostii. Tordylium officinale. Plumbago europaea. Evax pygmaea.

Salonae, die X. Maji. Celsia orientalis. Cotyledon Umbilicus. Echium violaceum. Anchusa italica. Atriplex Halimus. Lagurus ovatns. Leucojum aestivum. Medicago prostrata. Orchis palustris. Salvia Horminum. Salsola Soda. Phlomis fruticosa. Cytisus argenteus. Thelygonum Cynocrambe. Avena flavescens. Andropogon Gryllus.

Mandetrii, die XI. Maji. Orchis rubra. Spartium decumbens. Euphorbia exigua. Lunaria scabra *Forsk.* Milium lendigerum. Alopecurus agrestis. Rottboellia incurvata. Lotus hirsutus.

Mucari, die XIII. Maji. Cotyledon Umbilicus. Euphorbia diffusa. Acanthus spino-

Digitized by Google

sus. Lunaria annua. Alyssum minimum. Asperula tinctoria. Andrachne Telephioides. Briza maxima. Campanula mollis. Chlora perfoliata. Genista tinctoria. Inula Helenium. Lapsana stellata. Orobanche ramosa. Punica Granatum. Psoralea bituminosa. Quercus Ilex. Sherardia muralis. Stachys maritima. Sideritis romana. Teucrium supinum. Thlaspi montanum.

In Biokovo, *die XV. Maji.* Narcissus poeticus. Ranunculus millefoliatus. Ribes alpinum. Sisymbrium Loeselii et pyrenaicum. Sesleria elongata et coerulea. Tulipa sylvestris. Alyssum montauum. Valeriana officinalis. Arabis alpina. Astragalus Tragacantha. Echium rosmarinifolium. Doronicum Pardalianches. Erythronium Dens canis. Polygala major. Primula officinalis. Anethum Foeniculum. Festuca serotica.

In insula Brattia, die XVI. Maji. Hedysarum coronarium. Lapsana stellata. Poa bulbosa. Phalaris utriculata. Holcus halepensis. Rhus Cotinus. Statice Limonium. Armeria denticulata *Bertol.* Silene nocturna et gallica. Trifolium stellatum. Antirrhinum majus. Anchusa angustifolia. Asparagus acutifolius. Lotus peregrinus. Thelygonum Cynocrambe.

In insula Solento, die XVIII. Maji. Erica arborea. Fumaria capnoides. Lapsana Zacintha. Myagrum perfoliatum. Vicia lathyroides. Orobanche purpurea. Rosmarinus officinalis. Phlomis fruticosa. Lotus diffusus. Tordylium apulum. Phalaris tenuis. Holcus halepensis.

In scopulo S. Lucae in freto ins. Pasman, *die XXIV. Maji.* Fraxinus Ornus. Satureja montana. Ruta graveolens. Cistus monspeliensis. Althaea hirsuta. Pistacia Lentiscus.

In insula Lissa, die II. Junii. Filago pyramidalis. Festuca serotina. Geranium robertianum. Lapsana Zacintha. Linum gallicum. Osyris alba. Ophrys myodes. Plantago coronopifolia. Zizyphus vulgaris. Picris hieracioides. Rosa provincialis. Spartium genistifolium. Silene gallica. Aster Amellus. Teucrium Polium. Triticum unilaterale et elongatum. Vaillantia muralis. Veronica spicata. Antirrhinum Elatine. Asphodelus ramosus. Anchusa undulata. Astragalus hamosus. Cochlearia Coronopus. Colutea arborescens. Clematis integrifolia. Euphorbia Paralias. Secale villosum. Holcus halepensis. Bromus rubeus. Pistacia Terebinthus. Arbutus Unedo. Tamarix africana. Bupleurum subovatum.

In insula Gidola, *die IV. Junii.* Hypericum pulchrum. Inula odora. Ornithopus scorpioides. Phillyraea latifolia, et media. Bunias Cakile. Chlora perfoliata. Linum gallicum. Erica arborea. Cistus monspeliensis, creticus, salvifolius. Viburnum Tinus. Myrtus communis.

In insula Sansego, *die XI. Junii.* Coronilla cretica. Fucus concatenatus et natans. Zostera marina. Gladiolus communis. Plantago maritima. Samolus Valerandi. Plantago Psyllium. Saccharum cylindricum et Ravennae. Lappago racemosa. Ulva Lactuca. Passerina hirsuta.

Circa Lossinia (in ins. Apsyrtide) *die XII. et XIII. Junii.*

Aegylops ovata. Chrysanthemum segetum. Punica Granatum. Olea europaea. Herniaria glabra. Melia Azedarach. Rhus Cotinus. Salvia Sclarea. Andropogon Gryllus. Buphthalmum spinosum.

In insula Apsyrtio, *die XV. Junii.* Coronilla cretica. Althaea cannabina. Gladiolus communis. Erica arborea. Myrtus communis. Vitex Agnus castus. Cynoglossum cheirifolium. Caucalis grandiflora. Echium plantagineum. Geranium ciconium. Ornithopus scorpioides. Scorpiurus muricata. Verbascum phoeniceum. Hyoseris Hedypnois. Agrimonia agrimonioides. Euphorbia myrsinites. Juniperus Oxycedrus, Sabina. Onosma echioides, sericea. Beta maritima. Cistus salvifolius. Pistacia Lentiscus et Terebinthus. Glycyrrhiza glabra. Viburnum Tinus. Tamarix gallica. Arbutus Unedo. Passerina hirsuta. Nardus aristata. Xeranthemum annuum. Echium italicum. Echinops Ritro. Artemisia Abrotanum. Glaucium luteum.

In insula Crexa, die XX. Junii. Plumbago europaea. Cyperus longus, flavescens, fuscus. Alyssum montanum. Coronilla Emerus. Prasium majus. Lathyrus Nissolia. Galium rubrum. Rubia peregrina. Asperugo procumbens. Bupleurum rotundifolium. Lapsana Zacintha. Tamus communis. Prenanthes purpurea. Lotus Dorycnium. Myagrum rugosum. Smyrnium perfoliatum. Peltaria alliacea. Crithmum maritimum.

In insula Vegio, die XXIII. Junii. Carpinus Ostrya. Andropogon distachyum et Gryl-

Digitized by Google

lus. Ornithogalum nutans. Ophrys myodes. Rosmarinus officinalis. Salvia Sclarea. Digitalis ferruginea. Acer monspessulanum. Aegylops triuncialis. Aristolochia longa. Asparagus officinalis, et acutifolius. Bupleurum Gerardi. Campanula pyramidalis. Fraxinus Ornus. Genista hispanica. Plumbago europaea. Triticum elongatum. Conium maculatum. Hyosciamus niger. Artemisia paniculata.

In insula Arba, die I. Julii. Saccharum Ravennae. Typha latifolia et angustifolia. Teucrium Scordium. Cyperus longus. Scirpus palustris et Holoschoenus. Erica arborea. Laurus nobilis. Pistacia Lentiscus. Myrtus communis. Rosmarinus officinalis. Spartium genistifolium. Genista tinctoria. Agave americana. Capparis spinosa. Plumbago europaea. Lycium europaeum. Vitex Agnus castus var. Tamarix gallica. Buxus sempervirens. Festuca duriuscula, fluitans, Myurus. Juncus acutus, bulbosus, maritimus. Morus nigra. Plantago maxima. Rubia tinctorum. Melilotus messanensis. Triticum junceum. Carex extensa et divulsa.

In insula Gissa, die VII. Julii. Lotus hirsutus, maritimus, peregrinus. Rhamnus Alaternus. Poa aristata. Avena brevis. Phalaris utriculata. Sesleria echinata et sphaerocephala. Lappago racemosa. Andropogon distachyum et Gryllus. Rumex scutatus. Statice oleaefolia, Limonium, speciosa, cordata. Sium nodiflorum. Trifolium rubens. Teucrium Scordium. Veronica maritima. Aegylops triuncialis. Cistus creticus. Antirrhinum glaucum. Euphorbia Peplis, segetalis, myrsinites, Paralias. Astragalus hypoglottis. Teucrium flavum. Arundo Donax. Alyssum creticum. Plumbago europaea. Gnaphalium Stoechas. Papaver Argemone. Psoralea bituminosa. Paliurus australis. Artemisia crithmifolia, coerulescens. Glaucium corniculatum. Coronilla varia. Phleum asperum. Crepis rubra. Eryngium maritimum. Drypis spinosa. Vitex Agnus castus. Convolvulus lineatus. Andrachne telephioides.

(5) Plantae Dalmaticae a cl. Viro J. de Scenus collectae.

Ruscus aculeatus. Teucrium Polium. Buphthalmum spinosum. Convolvulus althaeoides. Carpinus Ostrya. Laurus nobilis. Pistacia Lentiscus. Vitex Agnus castus. Myrtus communis. Punica Granatum. Erica arborea. Ficus Carica. Fumaria acaulis. Juniperus Oxicedrus. Delphinium Stapysagria. Echium italicum. Cistus villosus. Clematis viticella. Rosa sempervirens. Cucubalus italicus. Hippocrepis multisiliquosa. Agrostis oseroensis, sive A. miliacea L. juxta R. et Sch. Picris echioides. Aegylops triuncialis. Festuca hirta. Anthemis Cota. Digitalis integriflora. Conyza candida. Centaurea spinoso-ciliata. Scrophularia paniculata. Marrubium candidissimum. Triticum pilosum, sive T. rigidum juxta Schrad. Festuca palustris, sive Poa festucaeformis juxta Schrad. Secale villosum. Schoenus coarctatus, sive Juncus maritimus junior. (*Vid.* Schult. *Syst. Veg. Mant. II. p.* 41.).

(6) Plantae Dalmaticae a cl. Viro Fr. de Portenschlag lectae.

Iris tuberosa. Nerium Oleander. Tamarix africana et gallica. Bunium pyrenaeum. Bupleurum subovatum. Armeria denticulata. Convolvulus althaeoides. Lonicera etrusca. Echium parviflorum. Eryngium creticum. Plumbago europaea. Smyrnium olusatrum. Tordylium officinale. Agave americana. Allium roseum. Erica arborea. Laurus nobilis. Cotyledon Umbilicus. Anagyris foetida. Styrax officinale. Ruta patavina. Saponaria bellidifolia. Euphorbia portlandica. Prunus prostrata. Cistus creticus, monspeliensis, et salvifolius. Ranunculus ophioglossoides et millefoliatus. Anemone hortensis. Acanthus spinosus, et spinosissimus. Rhinanthus Trixago. Phlomis fruticosa. Teucrium pseudo-hyssopus. Hesperis vernalis. Geranium tuberosum. Malope malacoides. Cytisus argenteus. Lotus ornithopodioides, hirsutus, diffusus et peregrinus. Hedysarum Caput galli. Ononis minutissima, et natrix. Spartium ferox. Astragalus aristatus. Evax pygmaea. Tragopogon crocifolius. Bellis annua. Orchis Hostii. Ophrys scolopax. Platanus orientalis. Thelygonum Cynocrambe. Quercus rotundifolia. Pinus maritima. Pistacia Terebinthus et Lentiscus. Phaenix dactylifera. Diospyros Lotus. Ceratonia Siliqua. Cheilanthes odora. *Novae detectae.* Arenaria clandestina, quae *A. Arduini* var. Campanula pumilio. Athamantha verticillata. Echium petraeum. Euphorbia filicina, quae *E. pilosa* L. juxta Reichenb. Berteroa procumbens. Farsetia triquetra, cujus nomen triviale mutandum, nam rami in vivo teretes sunt, et exsiccatione tantum angulosi et fere triquetri fiunt. Hedysarum variegatum. Cardamine maritima. Trifolium mutabile. Cichorium minimum, quod varietas est *C. pumili* juxta Trattinn.

Digitized by Google

(7) Plantae Apsyrticae Viri cl. Frid. Th. Bartling, praeter cacteras superius enumeratas, a cll. D. Cyrillo et J. Host ibidem lectas.

Ceterach officinarum. Aspidium fragile. Polypogon monspeliense. Ophrys arachnites. Quercus pubescens, et Cerris. Ulmus campestris. Celtis australis. Castanea vesca. Populus dilatata. Quercus Ilex, Suber, coccifera. Aristolochia Clematitis. Elaeagnus angustifolia. Thesium Linophyllum. Digitalis fuscescens. Hyosciamus Scopolia. Verbascum sinuatum. Convolvulus Soldanella, et Cantabrica. Gentiana lutea. Cynanchum Vincetoxicum. Ilex Aquifolium. Momordica Elaterium. Campanula graminifolia. Scolymus hispanicus. Centaurea splendens, solstitialis, montana, Calcitrapa, paniculata, rupestris et collina. Scabiosa leucantha et sylvatica. Ferula nodiflora. Oenanthes pimpinelloides. Eryngium amethystinum. Rubus hirtus. Genista sylvestris. Galega officinalis. Trigonella corniculata. Spartium junceum. Dorycnium herbaceum. Drypis spinosa. Arenaria marina. Dictamnus albus. Ruta graveolens. Tribulus communis. Paeonia officinalis. Bupleurum aristatum *Bartl.* Genista dalmatica, *ejusd.*

Digitized by Google

Digitized by Google

STIRPES DALMATICAE RARIORES

DESCRIPTAE ET ILLUSTRATAE.

I.

CLASSIS IV. Tetrandria. ORDO I. Monogynia. LINN. *Syst. sex.*
CLASSIS XI. Dicotyledones monopetalae epigynae anth. dist. ORDO I. Dipsaceae JUSS. *Gen. pl. p.* 194.
CLASSIS III. Dicotyledoneae seu Exogenae monop. perigynae. ORDO LXV. Dipsaceae DE CAND. *Th. elem. p.* 216.

GENUS I.

SCABIOSA Röm. et Schult. *Syst. veg. gen. n.* 408. KNAUTIAE spec. Linn. *Gen. n.* 116 Willd. *Sp. pl. gen. n.* 173. Pers. *Syn. pl. gen. n.* 227. PTEROCEPHALUS Spreng. *Syst. veg. gen. n.* 378.

SPECIES.

SCABIOSA MULTISETA. Tab. I.

CH. ESSENT. S. villosa, foliis infimis obovatis lyratisve dentatis, caulinis pinnatifidis integerrimis lobo terminali elongato, calyce 8-9 sepalo, corollis 5-fidis radiantibus crenulatis, calyculo exteriore membranaceo subtus pertuso, interiore decemseto, setis glabris margine pectinato-ciliatis. ⊙

SYN. An *Scabiosa Sibthorpiana* Smith *Prodr. Fl. Graec. vol.* 1. *p.* 84. *Fl. Graec. Ic. tab.* 110?

CH. NATUR. Herba cubitalis, pilis albis longis rigidiusculis tuberculo insidentibus undique obtecta, imprimis vero ad calyces et bases foliorum. RADIX annua perpendicularis ramosa fibrosa pallida. CAULIS erectus simplex, pilis brevioribus adpressis scaber, cinereus, teres, inferne rubescens. FOLIA villosa connato-vaginantia decussata: radicalia dentata petiolata venosa, costa alba nitida, modo simpliciter obovata dentata,

Digitized by Google

modo lyrato-pinnatifida, lobo terminali ovato magno crenato, lateralibus minoribus decurrentibus integris dentatisve: caulina inferiora serrata obovata, vel basi tantum pinnatifida, lobis lateralibus integris lineari-lanceolatis: media pinnatifida, lobis omnibus lineari-lanceolatis integris, terminali latiore et triplo longiore: floralia suprema saepius linearia indivisa, vel basi uno alterove lobulo instructa. Flores in calathidem depressam radiatam dispositi, terminales, magni, pallide violacei. Pedunculi spithamaei, in apice caulis terni, intermedio nudo indiviso unifloro, lateralibus bifidis, loco divisionis foliosi, pedicello altero triplo breviore. Calyx communis 8-9-sepalus, sepalis lanceolatis acutis, apice piliferis, margine pilis albis longis patentibus ciliatis, basi convexis nervosis albis villosissimis. Calyculus *exterior* campanulatus scariosus villosus albidus, margine denticulatus, basi foris nigricantibus cum angulis seminis alternantibus pertusus; *interior* setis decem linearibus acuminatis pallidis, dein fuscis, calyculo exteriore triplo longioribus, utrinque glabris, margine pectinato-ciliatis, compositus (tab. 1. A). Corollulae extus pubescentes, in disco infundibuliformes regulares quinquelobae obtusae, setas subaequantes, albidae, circiter quatuordecim numero; in radio irregulares quinquelobae magnae violaceae, quinque vel sex, lobis tribus exterioribus subaequalibus magnis ovatis, apice retusis crenulatis undulatis, interioribus brevissimis rotundatis, tubo setas aequante. Stamina quatuor demum exserta, antheris linearibus incumbentibus carneis, cito caducis. Pistillum germine infero, stylo exserto, stigmate depresso umbilicato violaceo, centro albido. Semina calyculis coronata oblonga angulata villoso-cana. Receptaculum villoso-paleaceum, sive paleaceum villis interpositis. Paleae lineares integrae, apice pilosae, albae persistentes.

Hab. in agro Sibenicensi. Colitur in Horto Patavino. Floret a Majo ad Julium. (v. s. spont. et viv. cult.)

Obs. Cum mihi penitus ignota sit *Scabiosa Sibthorpiana* Sm., nostrae, ut videtur, proxime affinis, cujus in Prodromo Florae Graecae adest tantum phrasis brevissima, a Römero et Schulteso, ne verbo quidem addito, repetita (*Syst. veg. III. p.* 69), nec Florae Graecae icones mihi videre contigerit, optimum consilium duxi, speciei dalmaticae nomine proprio insignitae descriptionem atque imaginem Botanicis stirpem graecam noscentibus, pro mutua comparatione, exhibere. A phrasi specifica *S. Sibthorpianae* differt nostra tantummodo corollulis crenulatis, quo tenui charactere neglecto, duas hasce plantas unam eamdemque speciem constituere mihi persuasissimum esset, ni clarissimus Florae Graecae auctor phrasi nuper citatae addidisset, *S. Sibthorpianam* forte varietatem esse *S. brachiatae* suae, sive *Knautiae palaestinae* L., quacum immo eam conjunxit cel. Sprengel in sui Systematis Vegetabilium volumine I. p. 384. sub *Pterocephalo brachiato.*

Digitized by Google

Characteres enim *Knautiae palaestinae* L. speciei dalmaticae minime accomodantur: nam illa (quoad descriptionem a Linnaeo in *Mantissa p.* 197. exaratam, et postea a Willdenowio, Persoonio et Lamarckio ad literam exscriptam) calycem gerit hexaphyllum, folia ne dente quidem notata, seminum pappum radiis octo villosis compositum, dum nostra tam spontanea quam culta calycem servat octophyllum vel novemphyllum, folia omnia dentata, et caulina lyrato-pinnatifida, ac pappum radiis decem non villosis, sive omni ex parte villis praeditis, sed margine tantum pilis longis patentibus pectinato-ciliatis. Si itaque *Scabiosa Sibthorpiana* Sm. eadem est ac *Knautia palaestina* L., veluti Smithius ipse dubitat, Sprengelius autem testatur, hujusque characteres superius allati constantes sunt, nostram jure merito ab illa distingui posse, verisimile videtur. Quodcumque sit, Botanicos haud mihi vitio daturos confido, quod dubiae stirpis descriptionem tradiderim, eamque, tali modo, judicio sapientiorum subjecerim.

II.

GENUS II.

CEPHALARIA Schrad. Röm. et Schult. *Syst. veg. gen. n.* 406. Lepicephalus Lagasc. *Gen. et Spec. nov. diagn. p.* 7. Succisa Spr. *Syst. veg. gen. n.* 376. Scabiosae spec. Linn. Willd. Pers.

SPECIES.

CEPHALARIA LEUCANTHA Röm. et Sch. *l. c. vol.* III. *p.* 47. *n.* 12. Scabiosa leucantha Linn. *Syst. veg. ed.* XV. *p.* 148. Willd. *Sp. pl.* 1. *p.* 548. Pers. *Syn. pl.* 1. *p.* 119.

VARIETAS.

CEPHALARIA LEUCANTHA γ SCOPOLII.

Syn. *Scabiosa leucantha* Scop. *Fl. Carn.* ed. II tom. 1. p. 95. (non Linn.).

Char. variet. S. l. hirsuta, foliis omnibus lyrato pinnatifidis majoribus, seminibus trigonis, foveolis receptaculi villosis. 24.

Char. natur. Herba plus quam cubitalis tota pilis densis rigidis patentibus hirta. Radix perennis lignea fusca. Caules ex una radice plures, basi lignosi, simplices scabri angulati, praesertim apice, ubi in tres pedunculos dividuntur. Folia radicalia lato-lanceolata acuta remote serrata petiolata, vel una cum inferioribus caulinis lyrato-pinnatifida,

Digitized by Google

lobo terminali magno ovato profunde dentato, costa subtus carinata saliente viridi, supra alba depressa nitida, lobis lateralibus alternis minoribus, basi cuneatis integris decurrentibus, apice dentatis, petiolis connato-vaginantibus; caulina media pinnatifida, lobis angustis lanceolatis subdentatis integrisve, subsessilia; suprema lineari-lanceolata integra. Flores in calathides globosas congesti, albi dein ochroleuci. Pedunculi terni uniflori simplices longissimi scabri, laterales bibracteati, intermedio nudo. Calyx communis hemisphaericus imbricatus squamis pluribus ovatis pubescentibus, infimis virescentibus obtusioribus hirtis, caeteris aridis albis, apice coloratis, acutis sericeis. Calyculus *exterior* scariosus denticulatus, *interior* in villos fissus, albidus, basi viridis. Corollulae quadrifidae, lacinia exteriore parum caeteris longiore, tubo squamas superante, pubescentes. Stamina quatuor exserta alba. Pistillum germine infero, stylo tenui, stigmate crassiusculo. Semina pubescentia coronata trigona, in ambitu floris interdum tetragona. Receptaculum conicum paleaceum, foveolis seminiferis membranula scariosa in villos fissa circumdatis excavatum, unde primo intuitu villosum dicere. Paleae subspathulatae aridae, margine scariosae, apice fuscae, obtusae concavae sericeae caducae, una pro quoque flosculo, semina basi amplectentes.

Hab. in rimis rupium montis Albii (*Biokovo*). Florebat ibidem mense Septembris. Colitur in horto Patavino, ubi nondum floruit (v. v. spont. et c.).

Obs. Descriptio *Scabiosae leucanthae* Scopolii, plantae Botanicis dubiae (vid. *Syst. veg.* Röm. et Sch. *vol III. p.* 47 in obs.) ob receptaculum juxta Scopolium villosum, juxta Wulfenium (in Röm. *Archiv. III. B. p.* 314) scarioso-squamosum, adamussim respondet stirpi dalmaticae, quam usque dum characteres specifici essentiales et constantes, si qui sint, certius cultura innotescant, veluti singularem *Scabiosae Leuchanthae* Linnaei varietatem hic sistimus. Receptaculum hujusce plantae revera paleaceum dici debet, cum quisque flosculus palea propria distinguatur a squamis calycinis nil dissimili, sed paleis hisce seminum maturitate decidentibus, villus foveolarum receptaculi (qui etiam in *Sc. leucantha* L. observatur, sed minus) in conspectum venit, et ob hunc certe Scopolius, de sua specie locutus, asseruit receptaculum villosum esse. Wulfenius autem, hocce villo neglecto, et palearum receptaculi, quae a squamis calycinis nil differunt, scarioso charactere tantummodo animadverso, receptaculum dixit scarioso-squamosum, eo quod paleae seu squamae scariosae sint. Cl. Sprengelius in Syst. veg. vol. 5. p. 378. retulit *Scabiosam leucantham* Scopolii ad suam *Succisam alpinam*. Attamen planta nostra, quam eamdem esse cum Scopoliana censemus, differt a *Scabiosa alpina* toto habitu, foliis lyrato-pinnatifidis hirsutis, calycibus vix pubescentibus albis, paleis receptaculi obtusis

Digitized by Google

subspathulatis, calyculo exteriore scarioso lacero, interiore in villo fisso, dum ex adverso *Sc. alpina* folia gerit amplissima pinnata glabriuscula, calyces villosos nigricantes, paleas receptaculi lanceolatas acutas, calyculum exteriorem octo-dentatum, dentibus alternis minoribus, interiorem radiis 20 patulis constantem. Praeterea in nostra planta semina saepius trigona, in *Sc. alpina* semper tetragona observantur.

III.

CL. V. Pentandria. ORD. Monogynia LINN. *Syst. sex.*

CL. IX. Dicotyledones monopetalae perigynae. ORD. IV. Campanulaceae SECT. I. JUSS. *Gen. pl. p.* 163.

CL. III. Dicotyledoneae seu Exogenae monop. perig. ORD. LXVII. Campanul. DE C. *Th. elem. p.* 216.

GENUS ET SECTIO.

CAMPANULA L. *Gen. n.* 218. Willd. *Sp. pl. gen. n.* 239. Pers. *Syn. pl. gen. n.* 428. Röm. et Schult. *Syst. veg. gen. n.* 788.

PRISMATOCARPUS. Herit. Moench. Tenore. LEGOUSIA Durand. APENULA Neck.

SPECIES.

CAMPANULA CORDATA. Tab. II.

CH. ESSENT. C. pubescens, caule erecto ramoso, foliis undulatis revolutis repandis obtusis, superioribus cordato-amplexicaulibus sessilibus, inferioribus spathulatis, corollis calyces subaequantibus. ⊙

CH. NATUR. Herba pilis brevibus crebris viscidulis tota cinereo-pubescens. RADIX annua ramosa pallida. CAULIS undequaque ramosus erectus. RAMI patentes striati angulosi, vel potius tenuiter alati, alterni, apice subdivisi, basi folio circumdati. FOLIA margine undulata revoluta repanda, apice obtusa, fere semidecurrentia; radicalia et caulina inferiora spathulata petiolata; superiora, sive ramorum basim circumambientia, cordato-ovata amplexicaulia sessilia, basi latiora, apice saepius emarginata; floralia lanceolata vel linearia, sessilia. FLORES violacei, corollae fundo pallido, in apice ramulorum saepius terni, sessiles. CALYX 5-partitus, laciniis lineari-lanceolatis, subtus costatis, corollam subaequantibus vel paullo brevioribus. COROLLA campanulata limbo 5-fido, laciniis mucronulatis ovatis lineatis, fundo nudo sive squamulis destituto. ANTHERAE 5 lineares sessiles perigynae. PISTILLUM antheris duplo longius, stigmate trifido apicibus incrassatis revolutis papilloso-pilosis, stylo filiformi, ger-

Digitized by Google

mine trigono infero, calyce persistente coronato. Capsula trilocularis obtusa trigona polysperma, calyce persistente tecta et coronata. Semina nitida ovata cinnamomea.

Hab. in agro Sibenicensi. Vere. (v. s. sp.)

Obs. Differt ab omnibus Prismatocarpis, sive Campanulis capsula prismatica praeditis, forma foliorum caulinorum, et quadam partium floralium visciditate. A *P. Speculo* differt insuper pubescentia copiosiori et foliis firmioribus, a *P. hybrido* corollis calyces subaequantibus, caulibus ramosioribus, ramulis divaricatis. Datur hujusce plantae varietas macrior multicaulis.

IV.

CL. V. ORD. Digynia LINN. *Syst. sex.*

CL. XII. Dicotyledones polypetalae epigynae. ORD. II. Umbelliferae Sect. II. Juss. *gen. pl. p.* 220.

CL. II. Dicotyledoneae seu Exogenae polypet. perig. ORD. LVIII. Umbell. DC. *Th. elem. p.* 216.

GENUS ET SECTIO.

SESELI. L. *Gen. n.* 360. Willd. *Sp. pl. gen. n.* 556. Pers. *Syn. pl. gen. n.* 716. Röm. et Schult. *Syst. veg. gen. n.* 1176. Spreng. *Syst. veg. gen. n.* 1044.

Hippomarathrum Riv. Fl. Vetter. Roehl.

SPECIES.

SESELI TOMENTOSUM. Tab. III. f. 1.

Ch. essent. S. caule erecto simplici, foliis glabris bi-triternatis, superioribus ternatis, foliolis filiformibus canaliculatis, involucellis pelviformibus germinibusque tomentosis 24.

Ch. natur. Herba cubitalis et ultra, erecta, viridis. Radix sublignosa conica ramosa perennis (?) fusco-flavescens, digiti minimi crassitiem aequans, collo crasso nodoso, sapore resinoso-aromatico insuavi. Caulis modo unicus, modo ex una radice duplex, basi aridis petiolorum reliquiis indutus, erectus junceus farctus herbaceus simplex striatus teres glaber viridis, nodis vix prominulis distantibus. Folia radicalia triternata, vel biternata foliolis extimis binatis, vel simpliciter biternata, longa, petiolata; caulina media biternata, vel ternata foliolo intermedio iterum ternato; suprema ternata, omnia subulato-filiformia, supra canaliculata, apice acuminata, alterna glabra laevia viridia nitida; petio-

Digitized by Google

lis sensim brevioribus, basi arcte amplexantibus, striatis, membranaceis, margine scariosis albis, folium versus in ligulam albam scariosam obtusam utrinque excrescentibus, superioribus basi ventricosis (tab. III. f. 1. a.). Flores parvi albi plures, conferte umbellati. Folia floralia spathaeformia (uno petiolo constantia) simplicia lanceolato-subulata, basi vaginantia marginata striata. Pedunculi ramulique floriferi angulati tomentosi albicantes. Umbellae compositae coarctatae subglobosae 4-8-fidae nudae, radiis cano-tomentosis inaequalibus (tab. III. f. 1. b). Umbellulae contractae multiflorae, involucellis monophyllis pelviformibus margine acute lobatis, extus lineatis canis, dentibus mucronulatis, floribus subsessilibus (tab. III. f. 1. c.). Calyx obsoletus vix conspicuus. Corolla pentapetala, petalis obovatis concavis patentibus albis, margine rubris, in apicem elongatum obtusum inflexum productis. (tab. III. f. 1. d.) Stamina quinque declinata, cum petalis alternantia, epigyna, filamentis adscendentibus, antheris ovatis pallidis. Pistillum germine glauco-tomentoso apice coronato ovato-oblongo striato, stylis duobus demum deflexis setaceis, stigmatibus globulosis. Fructus seu Polachena ovalis pedicellata, utrinque obtusa, ante maturitatem tomentosa. Semina extus convexa quinquejuga, jugis albis, valleculis sulcato-striatis villosiusculis, intus concava striata glabra, linea alba media notata; sapore aromatico grato. (tab. III. f. 1. e.)

Hab. in collibus saxosis mare spectantibus prope Sibenicum in Dalmatia. Floret atque fructificat mensibus Sept. et Oct. Nunc colitur in H. Patavino. (v. v. spont. et c.)

Obs. Species distinctissima, involucelli forma uni Seseleo Hippomarathro affinis, umbellarum tomento S. leucospermo. Differt a priori foliorum compositione ternata, forma subulata longiori et colore viridi, cum Hippomarathrum folia gerat tripinnata foliolis multoties brevioribus planis, et glauca, umbellae totius tomento quae in Hippomarathro glaberrima observatur, totoque habitu; ab altero caulibus simplicibus, foliis ternatim compositis, involucellis denique pelviformibus.

V.

CL. X. Decandria ORD. III. Trigynia LINN. *Syst. sex.*

CL. XIII. Dicotyledones polypetalae hypogynae. ORD. XXII. Caryophylleae Sect. IV. Juss. *Gen. pl. p.* 301.

CL. I. Dicotyledoneae seu Exogenae polypet. hypogynae. ORD. XIV. Caryophyll. Sect. II. DE C. *Th. elem. p.* 214. SUBCLASS. I. Thalamiflorae ORD. XXII. Caryophyll. Trib. II. Id. *Prodr. syst. nat. p.* 388.

Digitized by Google

GENUS.

ARENARIA. L. *Gen. n.* 569. Willd. *Sp. pl. gen. n.* 897. Pers. *Syn. pl. gen. n.* 1120. Seringe *in De C. Prodr. Ord. XXII. gen. n. XXV.* Spreng. *Syst. veg. gen. n.* 1713.

SPECIES.

ARENARIA ARDUINI. Tab. III. f. 2.

Ch. essent. A. caespitosa, ramis adscendentibus 3-5-floris, foliis lineari-lanceolatis acutis, sepalis acuminatis pedunculisque piloso-glandulosis, petalis obovatis calyce staminibusque longioribus, seminibus reniformibus ciliato-fimbriatis. 2.

β. var. *italica*: major, pubescens.

A. graminifolia Arduin. *Spec. alter. p.* 25 *tab.* 10 (non Schrad.)

γ. var. *dalmatica*: minor, uniflora, inaperta.

A. clandestina Portenschl. *Arch. für Geschicht.* etc. Majo 1824 p. 312. tab. I. (icon mala quoad partes floris). Seringe *l. c. p.* 414. *n.* 138.

Ch. natur. (quoad speciem dalmat.) Herba rigida caespitosa palmaris vel minor. Radix sublignosa perennis, fibrillis annuis capillaribus praedita. Caules basi lignosi radicantes, superius herbacei, nodosi adscendentes glabri, apice pubescentes, geniculis vaginatis. Folia opposita sessilia, basi connato-vaginantia, lineari-lanceolata acuminata firma integra, tenuissime cartilagineo marginata, sub lente ciliata, caeterum glabra, subtus nervosa 3-5-nervia, in ramis floriferis decussata erecta, in sterilium apice rosulata patentia. Flores dichotome cymosi tres vel quinque, raro solitarii vel septeni, albi pedunculati nutantes. Folia floralia caeteris breviora lanceolata nervosa, pube glandulosa obsita. Pedunculi laterales bifidi, intermedio indiviso, omnes glanduloso-pubescentes. Calyx 5-sepalus, sepalis ovato-lanceolatis, exquisite acuminatis, nervosis ventricosis imbricatis, extus glanduloso-pubescentibus, margine scariosis, apice fuscis. Corolla 5-petala, petalis obovatis obtusis integris venosis patentibus, calyce longioribus. Stamina 10 inaequalia, petalis breviora, filamentis hypogynis capillaribus, antheris ovatis incumbentibus pallide luteis. Pistillum germine supero ovali, apice umbilicato subtrigono, angulis leviter sulcatis, stylis tribus filiformibus, stigmatibus simplicibus. Capsula ovalis, calyce persistente et circumdante longior, unilocularis, truncata, ab apice ad dimidium trivalvis, polysperma, nitida, e viridi lutescens, valvis apice bidentatis obtusis. Receptaculum centrale liberum seminiferum. Semina numero indefinita, plura abortientia,

Digitized by Google

reniformia, margine convexo membranula fimbriata circumdato, rufa. (Icon 2. tabulae III. sub litt. *f* semen repraesentat magnitudine naturali, sub litt. *g.* idem lente auctum.)

Hab. in cacuminibus saxosis *Troglav* et *Sancti Georgii* nuncupatis montis Albii (*Biokovo*) in Dalmatia. Floret et fructificat a mense Julio ad totum mensem Septembris. (v. v.)

Char. natur. var. *β. italicae* (quoad specimina herbarii Arduini). Herba pilosiuscula caespitosa dodrantalis. Caules pube brevissima subincani, sursum glandulosi. Folia angustiora sive magis linearia quam in specie, et parum longiora, pilis brevibus tecta, vel etiam vix pubescentia. Flores in apice caulium bini ternive, raro solitarii. Calycis sepala longius acuminata. Capsula apice 3-4-valvis. Semina non vidi. Habitus et characteres caeteri ut in specie.

Hab. in rupibus altissimorum montium *Vette* nuncupatorum agri Feltrini. Ard. (v. s.)

Obs. Species dalmatica primum detecta fuit in summis jugis montis *Biokovi* in Dalmatia die 19 Junii anni 1818 a cl. Francisco de Portenschlag Botanico Vindobonensi. Sed cum specimina ab ill. Viro collecta exhiberent tantummodo primordia plantulae inter seriores aestivas et fere autumnales potius quam inter vernales recensendae, ideoque tunc temporis nec satis evoluta nec bene florida, factum est ut diagnosis ab hisce speciminibus eruta ab ill. Trattinnick minus verae speciei consona evaserit. Descripsit enim cl. Vir sub nomine *A. clandestinae* plantae specimen flore adhuc clauso, et ideo eidem tribuit sepala petalis quadruplo longiora, et petala staminibus breviora, cum ex adverso petala sint sepalis staminibusque longiora. Descriptio haec, una cum aliis plantarum in itinere Dalmatico a Portenschlagio lectarum, primum apparuit in Diario quodam germanico quod inscribitur: *Archiv für Geschichte, Statistik, Literatur und Kunst,* die 10 et 12 Maii 1824 n. 56 et 57, ubi etiam icon ab ipso inventore delineata videre est. Sed icon haec majoribus etiam scatet mendis quam ipsa diagnosis, plantam enim repraesentat caule unifloro, (quod in specie rarissimum) sepalis angustissimis basi calyculatis, staminibus nullis, et stigmatibus bifidis, cum ex opposito species fere semper caulem exserat triflorum vel quinqueflorum, sepala ovato-lanceolata multo breviora et basi nuda, stamina decem, et stigmata simplicia.

Clarissimus Seringe, qui in Prodromo Systematis naturalis regni vegetabilis celeberr. De Candollei elaboravit ordinem Caryophyllacearum, hac icone deceptus, et diagnosi Trattinnickii nondum visa, calyculum iconis (qui in vera specie deest) pro calyce habuit, sepala pro petalis, petala pro corpusculis ovoideis, ac tali ratione phrasim omnino erroneam digessit. Celeberr. Sprengel in sui Systematis Vegetabilium vol. 2. p. 399. sp. n. 61. *A. clandestinam* Portenschlagii adduxit ad *A. ca-*

Digitized by Google

lycinam Poireti, probabiliter ex icone et diagnosi, potius quam e mutua utriusque plantulae comparatione.

Ego mense Septembris anni 1824 Biokovum conscendi et Arenariam inveni, quoad vegetationis organa, *A. clandestinam* Port. optime referentem, quoad vero partes fructificationis, a descriptione et icone Diarii superius citati, et magis a phrase diagnostica Seringi toto caelo diversam. Sed collatis speciminibus a me lectis cum illis *A. clandestinae* in herbario Portenschlagiano asservatis, aperte patuit, utraque ad unam eamdemque speciem pertinere.

Acutissimus Bononiensis Professor, cel. Bertolonius, cui specimen misi hujusce stirpis, me primum docuit eamdem esse cum *A. graminifolia* Arduini, quam, nescio qua ductus ratione, ad *Alsines* retulit Gmelinus in sui *Syst. Veg. tomo* 1. *p.* 507.; neglexere autem omnino Seringe et Sprengel. Cujus synonymi ut certior fierem, alpes Feltrinas scandere, ubi Arduinus suam speciem decerpsit, consilium duxi. Quapropter eodem mense quo stirpem dalmaticam florentem legi, montes illos conscendi qui juga Feltrina, seu *Vette di Feltre,* ab incolis nuncupantur. Sed mea me fefellit spes, etenim in summis etiam cacuminibus Arduini plantam invenire nequivi, quamvis aliae Arenariae ibidem frequenter occurrant. Una itaque via adhuc tentanda supererat, qua omnis dubitatio de identitate utriusque plantae penitus evanesceret, scilicet speciminum herbarii Arduini cum meis comparatio. Cujus pretiosi in me beneficii maximas, uti par est, hic gratias ago meritissimo clarissimi Auctoris filio, Aloysio Arduino, in Patavina studiorum Universitate rei agrariae professori, qui paternos herbarum thesauros mihi libentissime ac humanissime aperuit. In hoc herbario, plantarum Italicarum sat diviti, *A. graminifoliae* dua specimina extant, alterum chartae glutinis ope adplicatum et nomine nunc citato ad marginem charactere autographo inscripto distinctum, alterum liberum cum icone originali, qualis impressa observatur in Spec. alt. p. 25. tab. 10, sub nomine simili charactere scripto *Alsines alpinae hirsutae longius radicatae perennis, folio brevi caryophylli vel graminis, flore albo; Arenaria graminifolia Ard. spec. a Linneo n.* 49. Cujus postremae annotationis numeri cujusdam Linnaeani rationem adducere nequeo, nisi intelligere velis, Arduinum, inter alias plantas quas numero distinctas mittere Linnaeo consueverat, hanc eidem misisse sub numero quadragesimo nono. Data igitur opportunitate, Arduiniana specimina cum meis sedulo comparavi, et tantam inter utramque speciem in notis essentialibus similitudinem interesse conspexi, ut neutiquam separandas esse censuerim. Differt enim tantummodo specimen Arduini a dalmatico foliis parum angustioribus longioribusque, pubescentia omnium partium evidentiori, quae vero in altero herbarii ejusdem specimine fere nulla est, dempta inflorescentia quae semper pubescit, sepalorum totiusque plantae dimensionibus ma-

Digitized by Google

joribus: convenit vero toto habitu, foliorum forma generali, pubescentia tantummodo in partibus floralibus glandulosa, caeterisque notis praecipuis. Qua de re, *A. graminifoliam* Ard. veluti varietatem vegetiorem *A. clandestinae* Port. habendam esse, persuasum habeo. Animadvertendum tamen existimo, plantam herbarii Arduini inconcinne in tabula decima Speciminis alterius ejusdem auctoris repraesentari. Folia enim multo angustiora sunt quam in icone citata, ac pubescentia multo brevior rariorque. Cum itaque *A. clandestinae* nomen mutandum esset, utpote quod erroneam plantae ideam suppeditat, optimum consilium duxi, primi inventoris nomine speciem diu neglectam condecorare, ac, tali pacto, memoriam Viri clarissimi debito honore prosequi.

Restat denique, ut, cupiens hujusce stirpis historiam omni ex parte perficere, lectores moneam, *Arenariam Rosani* Tenore *Prodr. p.* 26. *Syn.* 43. nostrae admodum affinem esse; tamen, docente in litteris cl. Bertolonio, differt potissimum habitu omnino hirsuto, longitudine foliorum caulinorum radicalibus plane similium, floribus copiosioribus majoribusque.

VI.

CL. XIV. Didynamia ORD. Gymnospermia. LINN. *Syst. sex.*

CL. VIII. Dicotyledones monopetalae hypogynae. ORD. VI. Labiatae. Sect. III. JUSS. *Gen. pl. p.* 112.

CL. IV. Dicotyledoneae seu Exogenae monop. hypog. ORD. 89. Labiatae. De C. *Th. elem. p.* 217.

GENUS.

SATUREJA Linn. *Gen. n.* 707. Willd. *Sp. pl. gen. n.* 1094. Pers. *Syn. pl. gen. n.* 1373. Spreng. *Syst. veg. gen. n.* 2085.

SPECIES.

SATUREJA SUBSPICATA Tab. IV.

Ch. essent. S. racemo spiciformi compacto, floribus axillaribus subternis brevissime pedicellatis, calycibus bilabiatis, dentibus subulatis, duobus infimis longioribus, foliis subspathulatis. ♄.

Syn. *S. pygmaea* Sieber *Pl. exsicc.*

S. subspicata Bartling *Pl. exsicc.*

Ch. natur. Planta dodrantalis vel minor. Radix lignosa, perennis, fibrillis ramosis praedita, nigrescens. Caulis basi lignosus nudus, caespitosus, effusus, epidermide secedente tectus. Rami adscendentes, basi

Digitized by Google

perennantes nudi, apice annui foliosi floriferi tetragoni, angulis obtusiusculis pilosis. Folia opposita decussata patentia sessilia subspathulata, sive apice latiora, mucronata, basim versus gradatim attenuata, integra, subtus carinata, utrinque punctata et pilosiuscula, vel tantum margine et carina brevissime ciliata, enervia, rigida, axillis foliosis. Flores rubri in racemos spiciformes breves compositos compactos subsecundos foliosos terminales purpurascentes congesti, in axillis foliorum floralium saepius terni, raro solitarii bini vel quaterni, singillatim brevissime pedicellati, at communi pedunculo destituti. Bracteae flores proxime ambientes lineares vel subulatae, mucronatae, pilosae, calyce minores, atrorubentes. Calyx monosepalus profunde 5-dentatus bilabiatus pilosus decagonus purpurascens, dentibus subulatis pungentibus ciliatis, duobus infimis longioribus adscendentibus, fauce pilis albis longis barbata. (tab. IV. *b.*) Corolla labiata extus pilosa, tubo calycem superante recto cylindrico staminifero, fauce subincurva inflata intus inferne pilosa, labio superiore fornicato obtuso emarginato, inferiore trilobo lobis subrotundis, lateralibus subaequalibus integris, medio majore subintegro. Stamina 4 didynama distantia, apice conniventia, inclusa, vel tantum longiora exserta, antheris bilobis, lobis divergentibus linearibus atropurpureis. Pistillum germine 4-loculari, stylo filiformi apice incurvo, stigmatibus binis setaceis demum exsertis. (tab. IV. *a.*) Fructus gymnospermus seu gynobasicus quadrilocularis, loculis monospermis. Semina 4 oblonga, calyce persistente connivente et fauce pilifero tecta.

Hab. in saxosis humilioribus montis *Biokovi* in Dalmatia. Floret Autumno. Legere in alpibus Carniae cll. *Sieber* et *Bartling,* prope Duinum in ditione Tergestina cl. Prof. *Moretti,* in monte *Spaccato* ditionis ejusdem egr. D.r *Biasoletto.* (v. v. spont.)

Obs. Primus, quod sciam, qui hanc plantam a *Satureja montana* Linnaei proprio nomine distinxerit, est meritissimus Sieber, qui decem circiter ab hinc annis eamdem legit in siccis et asperis alpium Carniae, et, ob parvitatem plantulae, *Saturejae pygmeae* nomine salutavit. Iisdem in alpibus, at loco feraciori, eam postea detexit ill. Bartling et *subspicatam* dixit, et specimina tum Sieberi tum Bartlingi cum Dalmaticis omnino conveniunt. Notiones istas stirpis historiam spectantes ill. Fr. Mayer me debere profiteor, qui me de hisce in litteris amicissime docuit, et qui specimina possidet a Botanicis superius citatis collecta ipsique communicata. Anno MDCCCVIII. cl. Moretti Ticinensis Professor eam reperit prope Duinum, ut ab ipso habeo, et quinque ab hinc annis eamdem e monte *Spaccato* mihi comiter largitus est Doct. Biasoletto, peritissimus Pharmacopola Tergestinus ac Botanices amantissimus. Ego denique eam legi Dalmatiae loco citato mense Septembris anni MDCCCXXIV.

Digitized by Google

Cl. Scopoli videtur hanc speciem innuisse, ubi in Fl. Carn. vol. II. p. 428 in observationibus ad *S. montanam* ait, in Karschiae montibus duplicem hujusce plantae varietatem occurrere, minorem alteram floribus rubris magisque aggregatis, quae certo certius *S. subspicata*, alteram majorem floribus remotioribus ac pallidioribus, quae *S. montana*. Ex hisce patet, Scopolium duas hasce species simul confudisse, quod etiam apud alios Botanicos accidisse scio. (Cfr. *Flor. od. Botan. Zeit.* ann. 1819. vol. 1. p. 36.) Discrepat autem *S. subspicata* a *montana* 1. statura dodrantali vel etiam minori, quae in *montana* est triplo longior et ultra; 2. foliis subspathulatis omnino quoad formam illis *Saponariae orientalis* similibus, quae in *S. montana* lanceolata sunt et angustiora; 3. floribus parce aggregatis, brevissime pedicellatis, et communi pedunculo destitutis, in racemum spiciformem densum abbreviatum dispositis, dum in *S. montana* flores subsessiles in corymbos oppositos dichotomos longe pedunculatos, racemum elongatum interruptum rarum insimul efficientes, digesti observantur; 4.°, et praecipue, calycibus bilabiatis, dentibus omnibus subulatis, duobus infimis longioribus, cum in *S. montana* dentes aequales sint et latiusculi, nec calyx in labia findatur; 5. corollis rubris, quae albae sunt in *montana*; odore denique et sapore totius plantae qui stiptico-aromaticus est ac fere myrtinus. Phrasis itaque *Saturejae montanae* corrigenda.

S. racemo raro elongato, e corymbis dichotomis longe pedunculatis composito, calycibus campanulatis, dentibus abbreviatis aequalibus, foilis lanceolatis. ♄

Ic. *Satureja perennis* Riv. *Monop.* 41. (optima)

Satureja nostra, cui *subspicatae* nomen veluti satis aptum retinendum censemus, juxta locorum diversitatem variat 1. magnitudine, cum in siccis et asperis altitudinem ne spithamaeam quidem attingat, et haec varietas est *S. pygmaea* Sieb.; 2. pubescentia, quae in umbrosis interdum fere nulla, dempta inflorescentia quae semper pubescit, in apricis vero totam plantam exornat; 3. forma foliorum, quae in saxosis angustiora observantur; 4. florum numero ex axillis foliorum floralium prodeuntium.

An huc pertinet *Saxifraga secunda* Camerarii Epit. pag. 717. fig. B. cujus flores purpurascunt?

VII.

CL. XV. Tetradynamia ORD. Siliculosa. LINN. *Syst. sex.*

CL. XIII. Dicotyledones polypetalae hypogynae ORD. III. Cruciferae Sect. II. JUSS. *Gen. pl. p.* 209.

CL. I. Dicotyledoneae seu Exogenae polypet. hypog. ORD. XXXIII. Cruciferae DE C. *Th. elem. p.* 215. SUBCLASS. I. Thalamiflorae.

Digitized by Google

COH. II. ORD. XI. Cruciferae TRIB. III. Thlaspideae. Id. *Syst. nat. veg. I. p.* 372. *Prodr. syst nat. I. p.* 175.

GENUS.

BISCUTELLA. Linn. *Gen. n.* 808. Willd. *Sp. pl. gen. n.* 1233. Pers. *Syn. pl. gen. n.* 1562. De C. *Syst. nat. gen. n. XXXVI.* et *Prodr. syst. nat. gen. n. XXXVII.* Spreng. *Syst. veg. gen. n.* 2278.

SPECIES.

BISCUTELLA DILATATA Tab. V.

CH. ESSENT. B. calycibus obtuse bicalcaratis, calcaribus elongatis apice incurvis, siliculis in disco glandulis pedicellatis scabris, in stylum non coeuntibus, caule hispido, foliis cordato-oblongis, basi dilatatis, amplexicaulibus. ⊙

SYN. *Biscutella hispida* Sims *Botan. magaz. tab.* 2444. (non De C.)

CH. NATUR. RADIX annua ramosa. CAULIS pedalis herbaceus erectus angulatus enodis hirsutissimus pilis longis albis rigidis confertis patulis, simplex vel parce superius ramosus. FOLIA radicalia oblonga fere cuneiformia seu basi attenuata, apice latiora obtusa, vix pollicaria; caulina radicalibus majora, cordato-lanceolata, caulem basi dilatata amplectentia, sessilia, omnia alterna sinuato-dentata vel etiam sinuato-pinnatifida, dentibus remotis obtusis barbatis, sinubus revolutis, utrinque hispida, subtus punctata, costa saliente, margine ciliato, apice subintegro lanceolato obtuso. FLORES terminales majusculi flavi corymbosi, in racemum fructiferum nudum elongatum simplicem abeuntes. PEDUNCULI semipollicares angulati hispidi, florentes erecti, fructiferi adscendentes. CALYX tetrasepalus clausus, sepalis oblongis unguiculatis erectis extus pilosis, quorum duo opposita deorsum producta in totidem calcaria conica elongata, apice incurva obtusissima. COROLLA cruciformis, petalis obovatis longe unguiculatis integris. GLANDULAE tori persistentes, quarum duae sessiles latiores compressae crassiusculae staminibus longioribus interpositae, duae pedicellatae globulosae minores, demum deflexae, prope stamina breviora, sive siliculae marginem spectantes. STAMINA sex tetradynama, filamentis edentulis basi dilatatis, antheris sagittatis oblongis. PISTILLUM germine biloculari orbiculato emarginato compresso, stylo longo angulato, sensim versus apicem attenuato, stigmate truncato. SILICULA bilocularis, fere semiuncialis, emarginata, stylo persistenti acute tetragono subaequalis, loculis monospermis compressis oblique ellipticis glabris marginatis, a stylo apice distinctis, disco glandulis pedicellatis (calidae immersionis ope diaphanis) scabro, ner-

Digitized by Google

visque transversis prominulis ab interno loculorum margine, sive ab axe, proficiscentibus lineato. Semen in quoque loculo solitarium subreniforme cinnamomeum, hylo obscuriore.

Hab. in cretosis agri Sibenicensis. Vere. (v. s. spont.).

Obs. Species a *B. hispida* De Cand. cui affinis certe distincta floribus majoribus et calcaribus calycinis incurvis obtusis, dum, ex De Candollei auctoritate, *B. hispida* calcaria calycina profert recta et acuta (*Diss. de Biscut. n.* 3. *t.* 1. *f.* 1. in Annal. Mus. Paris. vol. XVIII. et *Syst. nat.* 2. *p.* 408.), quamquam in specimine quodam culto hujusce specici calcaria observaverim obtusiuscula et subincurva, quod forsitan characteris incostantiam probare posset. Praecipuum tamen discrimen inter nostram et *B. hispidam* in foliorum forma reponendum existimo. Folia enim in hac oblonga sunt et basi attenuata, margine levissime et remote denticulata: in nostra vero e basi cordata dilatata in apicem lanceolatum attenuantur, crassiora sunt quam in illa, et marginem habent sinubus plus minusve profundioribus excavatum, quin immo aliquando fere pinnatifida evadunt; suprema vero semper inciso-dentata observantur. Cl. Sims in *Botanical Magazine* optimam hujusce specici iconem praebuit, sed hanc cum *B. hispida* commutavit, quamvis ingenue profiteatur, Biscutellam suam ab *hispida* De C. differre calcaribus calycinis non adeo acutis.

VIII.

CL. XVII. Diadelphia ORD. Decandria. LINN. *Syst. sex.*

CL. XIII. Dicotyledones polypetalae hypogynae ORD. II. Papaveraceae. Sect. II. JUSS. *Gen. pl. p.* 237.

CL. I. Dicotyledoneae seu Exogenae polypet. hypog. ORD. XXXIV. Papaveraceae. § 1. Fumariae. DE C. *Th. elem. p.* 215. SUBCLASS. I. Thalamiflorae. ORD. X. Fumariaceae. Id. *Syst. nat. veg.* 2. *p.* 105. *et Prodr. syst. nat.* 1. *p.* 125.

GENUS ET SPECIES.

CORYDALIS CAPNOIDES *α albida* De C. *Syst. veg.* 2. *p.* 125. *Prodr. syst. nat.* 1. *p.* 129.

Syn. *Fumaria capnoides* Linn. *Spec.* 984. Willd. *Sp. pl. gen.* 1312. *sp.* 21. *Corydalis capnoides* Pers. *Syn. pl. gen.* 1658. *sp.* 23.

Fumaria acaulis Wulf. in Jacq. *Collect.* 2. *p.* 203. Willd. *l. c. sp.* 20. *Corydalis acaulis* Pers. *l. c. sp.* 23. De C. *Syst. veg.* 2. *p.* 127. *Prodr. Syst.* 1. *p.* 129.

Obs. *Fumaria acaulis* Wulfeni, quam varietatem esse *F. capnoidis* dubitavere cum cel. De Candolleo permulti, ex descriptionibus aucto-

Digitized by Google

rum nuper citatorum, nec non ex iconibus tum Jacquini (*Icon. rar.* 3. *t.* 544.) tum Lamarcki (*Ill. t.* 597. *f.* 3.), differre debet a *F. capnoide* notis hisce praecipuis, parvitate scilicet, radice annua, caule nullo sive scapis nudis, foliisque minus compositis: caeteri enim characteres promiscui sunt. At in speciminibus Dalmatiae, agri Fluminensis et *Karschi* Tergestini, quae caeterum exacte respondent non modo descriptionibus iconibusque Jacquini et Lamarcki, verum etiam ipsi specimini Wulfeniano *Fumariae acaulis* in herbario Jacquiniano servato, (uti me perhumaniter in litteris certiorem fecit cl. Jacquinus filius, qui meum specimen vidit) facile cuique observare licet characterum superius expositorum inconstantiam, quae a *Fumaria capnoide* ad *F. acaulem* transitum efficit. In nostris enim radix perennis est, scapi majori ex parte nudi, basi vero saepius folio exornati, sive caulescentes, folia plus minusve bipinnata, seu pinnata, jugis infimis ternatis, superioribus simplicibus, impari tripartito, veluti de sua quoque Wulfenus scripsit (quamquam nihilo secius folia stirpis pinnata nuncupaverit), qui characteres etiam *F. capnoidi* communes esse nemo inficiabitur. Adde, quod post Vordonium qui Wulfeno typum siccum *F. acaulis* praebuit, nemo, quod sciam, speciem hanc Tergesti collegerit, dum ex opposito *F. capnoides* in Karscho sat frequenter occurrit. Et quoad characteres specificos *F. acaulis* superius enumeratos, liceat eosdem hic seorsim ad trutinam revocare. De annua radicis duratione primo praemonendum existimo, ipsam *F. capnoidem* ex multorum sententia annuam esse, ideoque ex hac nota nullum inter utrasque stirpes certum discrimen desumi posse. Dein, caeteris notis speciminis nostri cum illis speciminis Wulfeniani ad unguem concordantibus, verisimile est, hoc postremum plantulam stitisse juniorem locique sterilioris, ac idcirco radice tenuiore praeditam. Ex comparatione insuper speciminum dalmaticorum cum tergestinis edocti fuimus, *Fumariam capnoidem* in saxosis rupestribus parvulam esse, caule subnullo, foliis rotundioribus magis carnosis glaucisque, bracteisque latioribus et subspathaceis, veluti exacte de *F. acauli* Wulfenus; in locis minus asperis elongari, caule manifesto instrui, foliis longioribus angustioribus tenuioribus virescentibus ac evidentius bipinnatis luxuriare, bracteis linearibus pedicellos munire; ac demum in feracioribus verae *Fumariae capnoidis* aspectum induere. Hisce expositis, quanti faciendi sint characteres *F. acaulis* a Wulfeno pro specificis dati, judicent peritiores. Majoris quidem momenti prima fronte videri potest character e proportione siliquarum cum illa pedicellorum comparata desumptus: sed hunc quoque specificam utriusque plantae diversitatem male tueri ex eo patet, quod pedicellorum elongatio cum siliquarum maturitate pari passu progreditur, ideoque pedicellus idem primo siliquae longitudinem adaequat vel pene superat, postea multoties excedit, quod tam

Digitized by Google

in *F. acauli* quam in *F. capnoide* observatur. Postremo siliqua ipsa in utrisque oblonga est, et e basi latiuscula versus apicem attenuatur, non utrinque, uti scripsit Wulfenus. Argumentis hucusque allatis suffultus, duas hasce plantas in unam speciem jungendas esse mihi persuasum habeo.

Hab. copiose in Dalmatia Sibenici ad moenia urbis (unde forsitan Vordonius, jampridem per decennium medicus sibenicensis, typum *F. acaulis* Wulfeno attulit), in Insula *Crappano*, et prope Tragurium. (v. v. sine fl. et v. s. cum fl. et fr.)

IX.

CL. XIX. Syngenesia ORD. I. Polygamia aequalis. LINN. *Syst. sex.*

CL. X. Dicotyledones monopetalae epigynae anth. conj. ORD. I. Cichoraceae SECT. II. JUSS. *Gen. pl. p.* 169.

CL. III. Dicotyledoneae seu Exogenae monop. perigynae. ORD. IV. Cichoraceae DC. *Th. elem. p.* 216.

GENUS I.

CREPIS Linn. *Gen. pl. n.* 914. Willd. *Sp. pl. gen. n.* 1412. Pers. *Syn. pl. gen. n.* 1774.

SPECIES.

CREPIS INCARNATA. Tab. VI. f. 2.

CH. ESSENT. C. hirtella, foliis oblongis runcinato-pinnatifidis, radicalium pinnis subovatis obtusis incisis, rachide dentata, caulinis amplexicaulibus, pinnis lanceolatis acutis integris; caulibus adscendentibus ramosis, pedunculis squamosis apice tomentosis, squamis calyculi scariosis glabris, calycis carina hispidis.

CH. NATURALIS. RADIX simplex, fibrillis praedita, conica, perpendicularis annua. CAULIS modo unicus, modo ex una radice plures, adscendentes ramosi angulosi pilosiusculi. PEDUNCULI sive ramuli uniflori apice tomentosi et incrassati. FOLIA radicalia caespitosa, primordialibus obovatis sinuato-dentatis petiolatis, subsequentibus oblongis runcinato-pinnatifidis, lobis deflexis obtusis latiusculis incisis dentatis vel integris, rachide inter pinnas saepius dentata, ita ut folia interdum interrupte pinnatifida evadant; caulina sessilia, basim ramorum amplectentia, profunde pinnatifida, pinnis longioribus anguste lanceolatis acutis; floralia, seu pedunculos exornantia, lincaria sessilia integerrima remota, sensim breviora. FLORES terminales solitarii, ante anthesim cernui colo-

Digitized by Google

re *Hieracii incarnati.* CALYX duplici ordine sepalorum, exterioribus dimidio brevioribus subscariosis laxiusculis ovato-lanceolatis glabris, interioribus lanceolatis, linea media hispida notatis, maturitate costatis. COROLLULAE omnes hermaphroditae ligulatae 4-5-dentatae. PAPPUS simplex stipitatus sordide albus. SEMINA linearia. RECEPTACULUM nudum.

Hab. in agro Sibenicensi: misit etiam ex agro Traguriensi D. Andreas Andrich. Floret vere. (v. s. spont.)

OBS. Variat caulibus simplicibus ramosisque, foliorum lobis integris et incisis. Differt a *Crepide rubra* L. praesertim foliis magis laciniatis, pinnatifido-runcinatis; nec lyratis, et caulibus adscendentibus ramosis.

Huiusce stirpis specimen monstrosum possideo morbo illo laborans quem cl. RE *platesiae* nomine designavit, caule scilicet admodum compresso et dilatato, arcuato anguloso striato nitido, apice latiore floribus sessilibus congestis praedito, ramis secundis flexuosis unifloris ornato, foliisque tenuius dissectis.

X.

GENUS II.

TRICHOCREPIS.

CH. GEN. ESSENT. CALYX calyculatus squamis laxiusculis. RECEPTACULUM pilosum. PAPPUS simplex sessilis.

CH. GEN. NATUR. CALYX duplici ordine squamarum, basi villoso-canescens: squamae exteriores, sive calyculi, minimae lanceolatae albo marginatae erectae laxiusculae (6-8); interiores quadruplo et ultra longiores lineares marginatae, carina hispidae, semine decidente reflexae. (12 circ.)

COROLLULAE omnes ligulatae, apice acute 5-dentatae, basi tubulosae, calycem superantes, hermaphroditae, fertiles (luteae).

ANTHERAE quinque in tubum connexae.

PISTILLUM tubo antherarum longius, in duo stigmata globulosa bifidum.

PAPPUS sessilis simplex, pilis tenuissimis candidis compositus.

SEMEN lineare striatum sessile (badium).

RECEPTACULUM planum, punctatum, pilis capillaribus, sordide albis, persistentibus, calycem aequantibus, et seminibus interpositis, praeditum.

Digitized by Google

SPECIES.

TRICHOCREPIS BIFIDA. Tab. VII.

Ch. natur. sp. Herba annua spithamaea caespitosa. Radix perpendicularis ramosa gracilis. Folia omnia radicalia, breviter hirta, lyrato-runcinata, pinnatifida, lobis deflexis integris angulatisve acutiusculis, terminali majore subovato angulato obtuso. Scapi seu pedunculi radicales nudi filiformes elongati glabriusculi adscendentes (rubelli) apice saepius bifidi, ramulis divaricatis, quorum altero simplici, altero non raro bifurco. Bracteae minimae ad scapi divisionem positae, marginatae, lanceolato-subulatae. Flores lutei solitarii terminales nutantes. ⊙

Hab. in agro Sibenicensi. Vere (v. s. spont.)

Obs. Herba habitu *Crepidis*, a cujus genere nec non ab omnibus in Syngenesia aequali contentis differt receptaculo piloso, qui character in floribus calyculatis hujusce ordinis nusquam occurrit. Nomen genericum e charactere receptaculi et habitu plantae composui, scilicet a *τριχὸς crinis*, et *Crepis*, genus affine, quasi diceres, *Crepis crinita*, cum pili receptaculi capillos seu crines aemulentur.

XI.

CL. XIX. ORD. II. Polygamia superflua LINN. *Syst. sex.*
CL. X. ORD. III. Corymbiferae Sect. III. JUSS. *Gen. pl. p.* 183.
CL. III. ORD. I. Corymbiferae DE C. *Th. elem. p.* 216.

GENUS.

CHRYSANTHEMUM Linn. *Gen. n.* 966. Pers. *Syn. pl. gen. n.* 1879. Pyrethrum Willd. *Sp. pl. gen. n.* 1511.

SPECIES.

CHRYSANTHEMUM TURREANUM. Tab. VIII.

Ch. essent. C. sericeum, caule flexuoso ramoso herbaceo; pedunculis elongatis nudiusculis unifloris; foliis inferioribus bipinnatifidis rigidis, pinnis bifidis: mediis pinnatifidis: supremis lineari-lanceolatis integris; pappo eroso. 2.

Syn. *Matricaria Bellidis amplo flore Jacobeae cinerariae folio.* Georg. a Turre *Cat. Plant. Hort. Patav.* 1660. *p.* 63.

Chrysanthemum exoticum incano Cinerariae folio Bocc. *Mus. pl.*

Digitized by Google

rar. p. 23. *tab.* 4. et *tab.* 131. Rai *Hist. III. p.* 210. Zanon. *rar. stirp. Hist. ed. Monti p.* 77-78. *f.* 51. sub nomine *Crisantemo perpetuo cretico.* (bona)

Chrysanthemum rigidum. Visiani in *Delect. semin. H. Pat. anni* 1825.

Ch. natur. Herba sericea rigida implexa habitu *Anthemidis.* Radix perennis fusca ramosa. Caules ex una radice plures, annui acutanguli ramosi flexuosi. Folia petiolata subsquarrosa subtus nervosa magisque sericea, petiolis subtus angulatis, supra canaliculatis, caulem basi paullulum dilatata amplectentibus; radicalia caespitosa conferta bipinnatifida, pinnis alternis bifidis basi integris cuneatis decurrentibus, pinnulis inciso-pinnatifidis obtusis mucronulatis, petiolis folio longioribus aequalibusve; caulina media pinnatifida, pinnulis lanceolatis integris vel apice incisis, petiolis sensim brevioribus; suprema lineari-lanceolata integra sessilia. Flores terminales sparsi solitarii, radio albo, disco luteo. Pedunculi rigidi sulcati flexuosi, ante anthesim retorti, dein simpliciter nutantes, sub flore squamulosi. Calyx hemisphaericus arcte imbricatus squamis oblongis crassiusculis obtuse carinatis canescentibus, superioribus membrana scariosa circumdatis. Semiflosculi radiales foeminei fertiles, ligulis latis bisulcis tridentatis, apice revolutis, obtusis. Flosculi discoidei hermaphroditi fertiles imbutiformes quinquefidi. Pistillum bifidum exsertum, segmentis apice crassioribus recurvis. Semina angulata oblonga, basi paullulum attenuata, pappo marginali eroso coronata. Receptaculum convexum nudum, puncticulis excavatum.

Hab. in collibus saxosis agri Sibenicensis, nec non in monte *Kremik* prope *Capocesto* ditionis ejusdem. Floret vere et ineunte aestate. (v. v. spont. et cult.) Colitur in H. Patavino.

Obs. Primus, qui perelegantis hujusce stirpis mentionem fecerit, videtur Georgius a Turre, horti Patavini praefectus, qui anno 1660 catalogum edidit specierum in eodem horto cultarum, inter quas Chrysanthemum nostrum innuit sub nomine superius exposito, quod synonymon ad *Chrysanthemum exoticum incano cinerariae folio Bocconi* retulit Montius in sua editione *Historiae rariorum Stirpium Jac. Zanonii* Bononiae excusam anno 1742, tum ob convenientiam nominis, tum praesertim ex eo quod Bocconius dicit se speciem nostram cultam vidisse in horto patavino anno 1654, scilicet temporibus Turrei. Bocconius vero eamdem legit eodem loco quo et ego, scilicet in insulis Dalmatiae anno 1694, et descriptiones atque imagines tum Zanonii tum Bocconi plantae nostrae omnino accomodantur, si colorem demas semiflosculorum sive radii, qui juxta hosce auctores lutei sunt dum in planta, quam cultam vidimus, albi observantur; quod nihilominus ad specierum diversitatem statuendam minime sufficere, nemo est qui neget. Forsitan in specie spontanea radius lutescit, et in culta dealbatur, uti evenit in *Chrysanthemo coronario*, aliisque. Nomen

Digitized by Google

insuper *Matricariae Bellidis amplo flore* a Turreo huic stirpi impositum suspicionem promovet, plantam tunc temporis in horto patavino cultam albos tulisse flores, sive *Bellidi* similibus.

XII.

CL. XXIV. Cryptogamia LINN. *Syst. sex.* CL. I. Acotyledones. JUSS. *Gen. pl.* CL. IX. Cellulares seu Acotyledoneae DE CAND. *Th. elem.*

ORDO.

Algae LINN. *Syst. sex.* ORD. III. JUSS. *Gen. pl.* ORD. II. Sect. III. p. 7. Lichenes DE CAND. *Th. elem. p.* 220. Ord. CXLII. STEUDEL *Nomencl. bot. crypt. p. XV.* FAM. III.

TRIBUS.

Idiothalami homogenei CL. I. ORD. I. ACHAR. *Syn. meth. lich.*
Gasterothalami Lecideae CL. III. ORD. II. FRIES *Kongl. Vetensk. Acad. Handl.* 1821. *P. II. p.* 320.
Crustaceae scutellatae CL. I. ORD. V. AGARDH *Aphor. bot.* VIII. 1822.

GENUS.

LECIDEA Ach. *gen. n. V. Lichen. univ. p.* 32. *Syn. meth. p.* 11. Fries *gen. n. XXII. l. c.* Agardh *Gen. n. XX. l. c.* Lichen. Linn. *gen. n.* 1202.

SPECIES.

LECIDEA BOVINA. Tab. II. f. 2.

Ch. essent. L. thallo coriaceo candido orbiculari, margine undulato; apotheciis subrotundis convexiusculis nigris immersis.

Ch. natur. Apothecia obovata immersa sessilia, extus intusque nigerrima, disco emergente subrotundo aequabili convexiusculo, margine proprio concolore tenuissimo vix lentis ope conspicuo.

Thallus fungis coriaceis quoad substantiam non absimilis, elasticus, albus, rugulosus, planus, determinatus, margine undulatus, subtus disco fuscescens arrhizus.

Hab. supra stercus bovinum. Inveni in agro Sibenicensi. (v. v.)

Digitized by Google

Digitized by Google

STIRPIUM HUCUSQUE IN DALMATIA AB AUCTORE OBSERVATARUM

CATALOGUS.

Nomen systematicum	Nomen illyricum	Habitatio plantae
Acanthus spinosus	*Kopriva Primog Borsct*	In agro Sibenicensi *alle Torrette,* et in Monte Albio.
Acer campestre	*Maklen Makljen*	In sylvis montis Albii et alibi.
monspessulanum	*Klen*	In collibus Dalmatiae et in insulis.
platanoides	*Javor*	In sylvis montis Albii.
Pseudo-platanus	*Javor*	In sylvis montis Albii.
Achillea magna		In agro Sibenicensi.
Millefolium	*Kunji rep Stolistnik*	Vulgaris in herbidis.
nobilis		In agro Sibenicensi et in Albio.
Achnodonton tenue *Beauv.*		In graminosis frequens.
Acynos vulgaris *Pers.*		In cultis agri Sibenicensis.
Adianthum capillus Veneris	*Paprat mali, vodeni Papratea Papricza vodena Otoka mala*	In locis humentibus secus Titium, et alibi.
Adonis aestivalis		Inter segetes.
Aethusa Ammi *Spr.*		In agro Sibenicensi.
Agave americana	*Alog*	In collibus totius Dalmatiae litoralis vulgatissima.

Obs. Species haec Americae meridionalis indigena, montesque Dalmatiae humiliores exornans ab insula Arbe Ragusam usque, non raro floret apud nos. Num vero e patria sede huc advecta fuerit, vel inter indigenas stricte sumptas recenseri debeat, extricatu difficile. Equidem nec ullibi in Dalmatia culta observatur, nec unquam apud nos horti botanici extitere unde suspicari possit stirpem hanc per totam oram maritimam se se longe lateque diffudisse. Ope macerationis stamen suppeditat linteis texendis aptissimum.

Digitized by Google

Agrimonia Eupatorium	*Turika Divia slavulja Çiçak Korevina Jexinica*	In siccis agri Sibenicensis.
Agrostemma coronaria		In monte Albio.
Githago	*Opaçan giit Gravor*	Inter segetes, atque etiam in Albio.
Agrostis miliacea		In agro Sibenicensi.
Ajuga Chamaepithys	*Ivica Dubaçac veliki*	In incultis frequens.

Obs. Hujusce plantae varietas occurrit labio magno foliis longiore, lineis rubris punctatis notato.

Ajuga Iva		Spalati ad muros agrestes, Mucari in campis sterilibus.
Allium ascalonicum	*Ljutika*	Cultum.
capillare		In saxosis agri Sibenicensis loco dicto *Poglizze.*
neapolitanum		In agro Spalatensi.
paniculatum		In monte Albio.
Porrum	*Purich luk Prasluk*	Cultum.
sativum	*Luk, bili, çesan*	Cultum.
subhirsutum		In agro Sibenicensi.
tenuiflorum *Tenor.*		Habui ex Dalmatia sine loci indicatione.
Alopecurus agrestis		In cultis frequens.
Alyssum calycinum		In siccis agri Sibenicensis.
gemonense		In saxosis semperflorens.
incanum		In herbidis *alle Torrette* et Mucari.
Althaea officinalis	*Konopljka Slis veliki Slis bili Malovesach*	In agro Scardonitano.
Amaranthus Blitum		Vulgare in agro Sibenicensi.
retroflexus	*Sctir Schir*	Ibidem et alibi.

Obs. Herba junior cocta cibo inservit.

Amaryllis lutea		In agro Sibenicensi (*Poglizze*) et in insula *Crappano.*

Digitized by Google

Ammi majus	*Gorki koromaç*	Ad semitas agrorum.
Amygdalus communis	*Bajam Bajam slatki Menduo*	Sponte et frequentissime nascitur in collibus dalmaticis.
γ amara	*Bajam gorki*	Varietas sylvatica praecedentis.
δ fragilis	*Bajam mekisc*	Colitur ob fragilitatem epicarpi amygdalarum quae vulgo italice *Ambrosine* dicuntur.
Persica	*Praska Praskva*	Cultae.
β nucipersica		
Anagallis arvensis	*Kriviçica Krikka*	In cultis.
coerulea *Schreb.*	*Kupinik Krupnik Miçakinja*	
Anagyris foetida	*Jassika*	In agro Traguriensi.
Anchusa arvensis		In agro Sibenicensi.
lutea *Bieb.*		Ibidem et circa Mandetrium (*Clissa*).

Obs. Species dalmatica magis accedit ad varietatem β. ill. Biebersteinii, flore duplo minore.

Anchusa paniculata	*Volujak Voluj jeziçak Voluchak*	Ubique frequens.
variegata		In agro Sibenicensi et insula Brattia.
Andrachne telephioides		In asperis totius Dalmatiae.
Anemone stellata *Lam.*		Ibidem.
Anethum foeniculum	*Koromaç Moraç*	In cultis et apricis frequens.
Anthemis arvensis		In agris vulgaris.
Cota		In agro Jadrensi et Traguriensi.
Anthoxanthum odorat.		In graminosis.
Anthriscus nodosa		In agris ubique.
vulgaris		
Anthyllis montana		In summitatibus Biokovi.
Vulneraria		In herbidis totius Dalmatiae.
β coccinea		Priore frequentior in asperis apricis.

Digitized by Google

Antirrhinum majus	*Psichij*	Ubique ad muros vulgatissimum.
Orontium		In agro Sibenicensi.
Apargia hispida		Vulgaris in siccis.
Apium graveolens	*Sedan Selen*	Culta ob usum coquinarium.
Petroselinum	*Petruximul Petruscin*	
Arbutus Unedo	*Planika*	In Sylvaticis frequens.
Uva ursi		In Biokovo.
Arctium Lappa	*Diviçna Valjuga velika*	Ibidem.
Arabis alpina		Ibidem.
Arenaria Arduini *nob.*		Ibid. in summitatibus.
media		In maritimis frequens.
serpyllifolia β viscida		Sibenici in saxosis.

Obs. Differt a specie pubescentia et visciditate omnium partium, praecipue floralium, quod vero ariditati locorum, in quibus oritur, tribuendum esse videtur. Huc, monente in litteris cl. Bertolonio, ducenda est *A. viscida* Loisel. *Notic. p.* 68.

Arenaria verna		In agro Sibenicensi et Biokovo.
Arnopogon picroides β integrifolius	*Praska loçika*	Promiscue nascuntur in agris collinis Dalmatiae litoralis.
Artemisia Absinthium	*Pellin Akscenaz*	In saxosis, praecipue in insulis.
coerulescens	*Pellin morski*	In maritimis Spalati, et alibi.
vulgaris	*Pisana metva Marinja metva Cioppa*	Sibenici, Tragurii, Spalati.
Arum Arisarum		In portu *S. Pier di Nembo* prope Sinum Flanaticum (*Quarnaro*).
Dracunculus	*Lopar Zmajno zelje Zmjnaz velli*	In ins. Solento (*Solta*).
italicum	*Kozlac Zmjnac Brada aranova Kosalac*	In incultis umbrosis.
tenuifolium		Sibenici loco dicto *Poljcce.*
Arundo Donax	*Tarstika Tarst Trost*	In ins. Gissa (*Pago*) et Lumbricata (*Vergada*), secus Titium et alibi.

Digitized by Google

Arundo Phragmites	*Tarst vodena*	In aquis lente fluentibus.
speciosa *Schrad.*		In Biokovo.
Asclepias Vincetoxicum	*Pasia rigga*	Ibid.
Asparagus acutifolius	*Sparog*	In dumetis frequens.
Asperugo procumbens		In agri Scardonitani cultis.
Asperula arvensis		Vulgaris.
cynanchica		In saxosis Dalmatiae litoralis.
Asphodelus fistulosus		In agro Sibenicensi et Spalatensi.
luteus	*Zlatoglav*	In sterilibus agri Sibenicensis.
ramosus	*Çepris Çepargl Çjoplis*	In tota Dalmatia litorali.
Asplenium Ruta muraria		
Trichomanes	*Kameni paprat Papradca mala*	Ad muros vulgaria.
Aster Tripolium		In maritimis Spalati.
Astragalus monspessulanus		In sterilibus totius Dalmatiae.
Tragacantha		In Biokovo.
Atriplex patula portulacoides triangularis	*Loboda divia*	In maritimis.
Avena sativa	*Ovas Stoklas Zob*	Culta.
strigosa		In agro Sibenicensi.
Ballota nigra		Vulgaris in ruderatis, incultis.
Bellis perennis	*Krasuljak Ovçica*	Tragurii, Spalati et alibi locis feracioribus.
sylvestris *Cyrill.*	*Krasuliak manji*	Locis asperis sylvaticis Sibenici et Tragurii.

Obs. Tota hirta; foliis oblongis remote dentatis, dentibus rectangulis acutiusculis, scapi apice et squamis calycinis villoso-tomentosis, radice praemorsa. Floret praesertim autumno, nec vere, dum prior semperflorens.

Berberis vulgaris	*Krespin Varsta od tarna Çepçessak mali*	In Biokovo.
Beta maritima	*Morska blitva Divja blitva*	Ad litus Apsyrtidum (*Cherso ed Ossero*).

Digitized by Google

Beta vulgaris	*Blitva*	Culta.
Betonica officinalis	*Bitunika Serpac Ranilist Bukvica*	In Biokovo.
stricta		In portu *S. Pier di Nembo*
Biscutella dilatata *nob.*		In asperis agri Sibenicensis, in *Boraja*, in rupestribus *Male Muline* prope Tragurium, et *Furnasa* prope Onaeum.
Borago officinalis	*Burasina Porec*	In cultis, et umbrosis sponte.
Brassica Eruca	*Rigga Rikula Vrizak*	In incultis frequens.
oleracea	*Kupus Broskva*	Cultae.
β capitata	*Kupus glavati*	
γ bullata	*Raschika*	
δ caulo-rapa	*Rippasti*	
Rapa	*Rippa*	
Briza maxima		In collibus frequens.
Bromus erectus		In agris vulgaris.
mollis		In graminosis ubique.
β nanus *Weig.*		In siccis, sterilibus vulgaris.
retusus *Pers.*		In saxoxis Sibenici, et Brattiae.
Bunias Erucago		In satis.
Buphthalmum aquaticum		In agro Sibenicensi.
spinosum		Ibid. et alibi.
Bupleurum aristatum *Bartl.*		In agris et collibus siccioribus. Cl. Bartling in ins. *Veglia.*

Obs. Hujus speciei descriptionem, differentiam ab affini *B. Odontite*, et imaginem vide in *Iconibus plantarum rariorum* cl. Reichenbachii *Cent. II. Dec. XVIII. p. 70. Tab. CLXXVIII.*

Bupleurum rotundifol. subovatum *Link*	*Zvinzac prosiljeno*	In satis.

Obs. Differt a priore caule diffuso ramosissimo, ramis divaricatis, foliis apicem versus lanceolatis acutis, involucellis rotundioribus.

Buxus sempervirens	*Zelenika Bus Sinsir Mercja pitoma.*	In insulis Dalmatiae.

Digitized by Google

Cachrys maritima *Spr.*	*Petrovnak Petrovo zelje*	In maritimis frequens.

Obs. Folia crassiora aceto macerata usui coquinario inserviunt.

Calendula arvensis	***Bileck Zimirod***	In agris nimis frequens.
Campanula cordata *nob.*		In cultis totius Dalmatiae, et etiam in Istria.
β albiflora		In agro Sibenicensi.

Obs. De hac specie, praeter descriptionem superius expositam, *pag.* 5, vide Adnotationes.

Campanula glomerata		In Biokovo.
Portenschlagiana *R. S.*		Ibidem, et Onaei ad muros, et in rupium fissuris.

Obs. De hac quoque confer Adnotationes nostras.

Pumilio *R. S.*		In jugo *Troglav* montis Biokovi.
pyramidalis	*Prostienak*	Vulgaris in saxosis Sibenici et alibi.
Trachelium		In umbrosis circa *Verlika.*
Camphorosma monspeliaca		In apricis sterilibus Sibenici et Spalati.
Cannabis sativa	*Konoplje Poskon*	Culta.
Capparis spinosa β inermis *Pers.*	*Kappara*	Ad muros domorum totius Dalmatiae litoralis.
Carduus Acarna	*Scikalina*	In argillosis Dalmatiae frequens.
arvensis *Smith*		In cultis.
lanceolatus	*Osliebad*	Ad vias campestres.
leucographus		In agro Sibenicensi.
tenuiflorus		In cultis.
Carlina acaulis β caulescens	*Oslobad Kravjak Prostriljenica*	In Biokovo.
vulgaris		In apricis sterilibus.
Carpinus Betulus	*Grab*	In sylvis collium.
Caucalis grandiflora		In agro Sibenicensi, et Spalatensi.

Digitized by Google

Caucalis latifolia		Ibidem.
- fl. albo		Ibidem.
platycarpos		Inter segetes Sibenici, Spalati, et Tragurii.
Celsia orientalis		In collibus et apricis Dalmatiae.
Celtis australis	*Fafarinka Kostila*	In asperis et rupestribus totius Dalmatiae.
Centaurea amara		In siccis et sterilibus frequens.
benedicta	*Ud sveti Biskupovo zelje Çkal blaxeni Babbino zelje Scikalina*	In agro Sibenicensi, et in insulis.
Calcitrapa	*Schiavica Sjkavicca*	In sterilibus vulgaris.
Crupina		Ibidem.
Cyanus	*Sogafilje Razliçak*	Inter segetes.
deusta β *Ten.*		In Biokovo.
montana		Ibidem.
nigrescens		In pascuis vulgaris.
paniculata		Ad semitas agrorum.
Scabiosa		Prope *Verlika* in herbidis.
solstitialis		In agris collinis et in planitie *Petrovo Polje.*
Cephalaria centauroides *R. S.*		Ab sepes et in collibus agri Sibenicensis.
leucantha		In rimis rupium montis Biokovi et circa Onæum
γ Scopolii *nob.*		In rimis rupium montis Biokovi et circa Onæum
Ceratonia Siliqua	*Rogaç*	Spontanea in insula Pharo.
Ceterach officinarum *Willd.*	*Paprat od kamena Zlatinjak Paprat slana*	Ad rupes et muros agrestes.
Cheiranthus Cheiri	*Ljubica xuta Viola xuta*	Ad muros domorum sponte crescit Sibenici et Spalati.
parviflorus		In Biokovo.
Chelidonium majus	*Rosopast*	Vulgare.
Chenopodium album		In agris frequens.
hybridum		In cultis agri Tragurien-sis.
viride		Vulgare.
Vulvaria	*Loboda smardechia*	In cultis frequens.
Chondrilla juncea		In siccis sterilibus.

Digitized by Google

Chrysanthemum Leucanthemum Turreanum *nob.*	*Volui oko Revan*	Vulg. in pratis.
		In saxosis agri Sibenicensis, et circa *Capocesto*, ad rupes prope Onaeum.
Chrysocoma Linosyris		In agro Sibenicensi.
Cicer arietinum	*Grah Slanutak*	Cultum.
Cichorium Intybus	*Xutinica*	In saxosis.
Cineraria maritima		In quodam scopulo prope Tragurium.
Cistus alpestris γ *DC.*		In saxosis frequens.
Fumana		Ibidem.
glutinosus		Ibidem in agro Sibenicensi et Traguriensi.
Helianthemum		Vulgare.
monspeliensis		In ditione Jadrensi et in insulis.
salvifolius		In collibus praecipue insularum.
villosus		In insula Brattia et *Selve*.
Clematis Flammula γ maritima *DC.*	*Skrobut*	Ad sepes; γ in saxosis agri Sibenicensis.
Vitalba		Ibidem.
Clinopodium vulgare		In Biokovo.
Clypeola Jonthlaspi		In saxosis totius Dalmatiae.
Cochlearia Draba		In versuris agrorum frequens.
Colchicum autumnale	*Baluscka*	In pratis prope *Verlika* et in Biokovo.
montanum *L.*		In collibus circa Sibenicum et Tragurium.
Colutea arborescens	*Puccalina*	In montuosis, sylvestribus frequens.
Conium maculatum	*Zvolina Svinjavez Markva vodena*	In ruderatis umbrosis circa Tininium (*Knin*) et alibi.
ConvallariaPolygonatum	*Perdelj Peçat salanunov Kadlest*	In Biokovo.
Convolvulus arvensis	*Slek*	In agris frequens.
Cantabrica	*Palja od pscenicce*	In saxosis collinis Sibenici, Brattiae etc.

Digitized by Google

Convolvulus tenuiss. *Sm.*		Ibidem.
Conyza candida *L.*	*Bila slavulja*	In tota Dalmatia littorali vulgatissima in saxosis rupestribus.
squarrosa	*Bufina*	In agro Sibenicensi.
Cornus mascula	*Drin Dreneck Kuroslipnik*	In sylvis (*Boraja*).
sanguinea	*Rastivak karvavi Vuçijdrin Voçka karvava*	Ad sepes Tragurii et Spalati.
Coronilla cretica		In collibus Sibenici, Tragurii, Brattiae.
Emerus		In rupestribus ibidem.
glauca		Ad rupes mare spectantes in portu Sibenicensi.
Securidaca		In agro Sibenicensi et Traguriensi.
varia		Ibidem et in Biokovo.
Corylus Avellana	*Ljsnik Jegra Jezgarica*	In umbrosis Dalmatiae montanae.
Cotyledon Umbilicus	*Klobuçac velli Pupakçich*	In umbrosis agri Spalatensis et prope Mandetrium.
Crataegus monogyna	*Bili tarn Bila draça Glog*	In incultis et ad sepes totius Dalmatiae.
Crepis foetida		In agro Sibenicensi.
incarnata *nob.*	*Dimac*	In tota Dalmatia litorali, in sterilibus.
Crocus odorus *Biv-Bern.*	*Çjafran Xufran*	In collinis saxosis Sibenici et alibi.
Croton tinctorium		In cultis agri Sibenicensis.
Cucubalus Behen	*Skripac*	Vulgaris.
litoralis		Var. praecedentis in aridis.
Cucumis Melo	*Mlun Lubenicca*	Culti.
sativus	*Kukumer Krastavac*	
Cucurbita Citrullus	*Dinja*	Cultae.
lagenaria		
Pepo	*Tikva*	
Cupressus sempervirens	*Çempris Cipres*	Cultus.
Cuscuta Epithymum	*Vrisac Verdun Popovac*	Salviae officinalis parasitica in Biokovo.
Cyclamen europaeum	*Klobuçac Skrisalina*	In agro Traguriensi.

Digitized by Google

Cyclamen neapolitanum *Ten.*	*Klobuçac Skrisalina*	In nemorosis *Boraja, Verpolje.*
Cydonia vulgaris	*Kunja Dunja*	Culta.
Cynanchum Vincetoxic.	*Pasia rigga*	In Biokovo.
Cynara Scolymus	*Kardun Artichjok Oset pitomi*	Culta.
Cynodon Dactylon		In pascuis.
Cynoglossum pictum	*Pasii jezik Gavez Tarpunjac*	In agris sterilibus.
Cyperus flavescens		In udis Salonae.
Cytisus argenteus		In saxosis Sibenici, Tragurii, Brattiae, Montis aurei (*Mossor*).
Dactylis glomerata var. villosa *Tenor.*		Vulgaris. Priore frequentior in siccis.
Daphne Mezereum		In Biokovo.
Datura Stramonium		In ruderatis.
Daucus Carota	*Markva pitoma Kuzmork*	In pratis.
Delphinium Consolida	*Xavoronak Konsulj kraljski*	Ibidem, et in satis.
junceum *D. C.*		Ad vias campestres agri Sibenicensis.
Staphysagria	*Uljevac Uslivica Granula*	Sibenici et Tragurii in ruderatis.
Dianthus atrorubens	*Garoful divii*	In Biokovo.
barbatus		Ibidem et circa *Verlika.*
caryophyllus		In montibus demissioribus.
prolifer		In siccis agri Sibenicensis.
sylvestris		Ibidem.
Dictamnus albus	*Jassenak Jassen bili Zelje holinçivo*	In ditione Sibenicensi circa *Zlosella* et alibi.
Digitaria sanguinalis		In graminosis.
Dipsacus sylvestris		Spalati ad fossas campestres.
Dorycnium fruticosum		In Biokovo.
Draba verna		Vulgaris.

Digitized by Google

Echinops Ritro β elegans		In Biokovo, in sterilibus agri Mucarensis, et in *Petrovo polje*.

E. foliis bipinnatifidis, laciniis linearibus; florum capitulis duplo majoribus. *Bertol.* Fl. ital. ined. E. Ritro *Scop.* Carn. ed. 2. p. 121. n. 994. (Echinopus).

Echinospermum Lappula *Lehm.*		In incultis frequens.
Echium italicum		In siccis Sibenici, Tragurii et alibi.
petraeum *Trattinn.*		In rupibus Biokovi et circa Onaeum.
pustulatum *Sm.*		In agro Jadrensi et Sibenicensi.
vulgare		In sterilibus frequens.
Ephedra distachya		Ad sepes et muros agrestes.
Epilobium palustre		In udis secus flumina Titium et Hyader.
Eranthis hyemalis *Salisb.*		In sylvaticis (*Boraja*).
Erica mediterranea	*Uris Uressina Beresk*	In agro Spalatensi.
Erigeron acre		In agro Sibenicensi.
annuum		Vulgare.
canadense		Idem.
graveolens		In pratis circa Salonam et in insulis Celadussis.
Erodium ciconium		In agro Sibenicensi et Spalatensi.
cicutarium		Ibidem in ruderatis.
malacoides		Ibidem in apricis.
pimpinellifolium		Ibidem.
Ervum Lens	*Lecha Soçivica*	Cultum.
nigricans *Bieb.*		In saxosis agri Sibenicensis et Traguriensis.
Eryngium amethystinum	*Sckuleb Sikavica*	In saxosis sterilibus.
campestre	*Rekes*	
Erysimum Barbarea		Vulgaria.
officinale	*Onjicca*	
Erythraea Centaurium	*Gorko zelje Ger Ghercicca*	In pratis uliginosis.

Digitized by Google

Evonymus europaeus	*Rakitta*	In sylvaticis montis *Dinara.*
Euphorbia Chamaesyce		In sterilibus Biokovi.
Characias var. *veneta W.*	*Veliki mljkac*	Ubique in apricis.
Cyparissias		Vulgaris in sterilibus.
falcata β acuminata		In satis.
fragifera *Jahn*	*Kapus*	In agro Traguriensi.
maculata		In sterilibus agri Sibenicensis.
myrsinites		In ins. Apsyrtide et Brattia.
niceaensis		In agro Sibenicensi.
Paralias		Ad litora maris frequens.
Peplis		In paludibus maritimis Tragurii.
Peplus	*Tusc divii Mliçer mladi*	In cultis.
spinosa	*Bukavac*	In saxosis totius Dalmatiae.
Euphrasia lutea		In collibus circa *Capocesto.*
officinalis β *Pers.*	*Corvica Vidac Oslenica*	In Biokovo.
Fagus sylvatica	*Buk Bukava*	In Biokovo.
Fedia discoidea		In agro Sibenicensi et in Traguriensi
echinata		Ibidem et alibi.
microcarpa *Reich.*		Ibidem.
Festuca serotina		In agro Sibenicensi.
Ficaria ranunculoides		Ubique frequens.
Ficus Carica	*Smokvenicca*	Sponte innascitur muris domorum ac maeniis urbium.
Fragaria vesca	*Fragule Jagode carljene Jagode podzemljuhe*	In umbrosis sylvaticis frequens.
Fraxinus excelsior	*Jasen polski*	In sylvis Biokovi.
Ornus	*Jasen*	In collibus et sylvulis vulgaris.

Digitized by Google

Fumaria caproides α *DC.*	*Divii rosopast*	Jaderae, Sibenici ad muros, Tragurii ad rupes, et in insulis Surio et *Crappano.*
capreolata		Ad sepes in umbrosis Sibenici, Spalati, et in insula Brattia.
officinalis	*Dimljaça Rosno zelie Rosnica Rosopast Pellin mali*	Ad muros, et in umbrosis.
parviflora		In cultis vulgatissima.
Galega officinalis	*Kozia ruta Orlina*	In agro Sibenicensi.
Galeopsis Ladanum		In portu *S. Pier di Nembo*, et in Biokovo.
Galium Aparine	*Broç mali*	Ad sepes vulgare.
Mollugo		In pascuis etiam Biokovi.
tricorne *With.*		Inter segetes Spalati, Sibenici.
verum		In pascuis sterilioribus frequens.
Genista dalmatica *Bartl.*		In saxosis totius Dalmatiae.
germanica		In portu *S. Pier di Nembo.*
Gentiana cruciata	*Vladislavka*	In Biokovo.
lutea	*Sarçenak Lincjura Kosutje uho.*	Ibibem.
Geranium lucidum		In umbrosis humentibus ins. Brattiae.
macrorhizon		In Biokovo.
molle	*Babbino xiliçe*	In pratis frequens.
robertianum	*Iglicca Igla pastirska*	Vulgatissimum in apricis.
tuberosum		Inter segetes totius Dalmatiae.
Gladiolus byzantinus *Mill.*	*Maçinac*	Inter segetes passim.
Glaucium luteum		In tota ora maritima.
Glechoma hederacea	*Barſtan zemalski*	In herbidis umbrosis.
Globularia vulgaris		In collibus agri Scardonitani et in Biokovo.

Digitized by Google

Gnaphalium angustifolium *Lam.*	*Smjl*	In collibus vulgatissimum.
Gypsophila Saxifraga	*Kamenicjak Kosternica Modar*	In saxosis communis.
Hedera Helix	*Barstan*	Vulg. ad muros et arbores.
Hedypnois tubaeformis *Ten.*		In agro Sibenicensi et Traguriensi.
Hedysarum Onobrychis		Sibenici et circa *Verlika.*
Heliotropium europæum	*Trava od vitra*	In cultis Sibenici et alibi.
Helleborus niger	*Sprex Zdravac*	In montibus Imothensibus.
Helminthia echioides		In agro Sibenicensi.
Herniaria hirsuta		In Dalmatiae sterilibus.
Hieracium glaucum		In collibus Sibenici et *Capocesto.*
Pilosella	*Ovçia bradica Ovçia travica*	In sterilibus.
sylvaticum		In Biokovo.
verbascifolium		Ibidem et prope Jaderam
Hippocrepis biflora *Spr.*		In agro Sibenicensi et Traguriensi.
comosa		Brattiae et in monte *Mossor.*
multisiliquosa		In agro Sibenicensi.
Holcus halepensis		In graminosis.
lanatus		In graminosis.
Sorghum	*Sirak*	Cultum.
Holosteum umbellatum		Vulgatissimum in cultis.
— var. glandulosa		In siccis insulae Brattiae.
Hordeum murinum		Commune.
vulgare	*Jeçam Ozimac*	Cultum.
Humulus Lupulus	*Blust Kukka*	Ad sepes.
Hyacinthus botryoides	*Rigavica kapulla*	Vulgaris.
comosus		In pratis et cultis.
racemosus		Frequens in incultis.
romanus		Ad margines agrorum in *Riviera dei Castelli*, et etiam Sibenici, sed rarius.

Digitized by Google

Hyosciamus albus —β *Linn.* niger		In ruderatis.
Hyoseris scabra		In portu *S. Pier di Nembo.*
Hypericum perforatum	*Strasno zelje Gospino cvjt Gorac Zvonçac Ranjenik*	In sterilibus, siccis.
Illecebrum serpyllifolium		In apricis Biokovi, ins. Brattiae, et agri Scardonitani.
Inula crithmifolia		In litore marino vulgaris.
Oculus Christi		In agro Verliccensi.
Pulicaria	*Businac*	In campis sterilibus.
squarrosa		In agro Sibenicensi, Spalatensi, et in insulis.
Vaillantii		In agro Sibenicensi.
viscosa		In sterilibus et maritimis Dalmatiae.
Iris germanica	*Maçinac*	Ad muros et in rupestribus totius Dalmatiae.
pumila		In saxosis agri Sibenicensis.
tuberosa		In agro Spalatensi *alla Torretta.*
Juglans regia	*Orah*	Culta.
Juncus acutus	*Brulla Sita Kossan*	In maritimis.
Juniperus Oxycedrus	*Smriç Smrik*	In saxosis totius Dalmatiae.
phoenicea	*Gluvi smriç*	Ibidem, praesertim mare versus.
Sabina	*Somina Gluçac*	In Biokovo et alibi.
Jxia Bulbocodium		In collibus Dalmatiae.
Kochia scoparia *Schrad.*		In cultis agri Tragurien-sis et Spalatensis.

Digitized by Google

Koeleria phleoides *Pers.*		In graminosis cultis Sibenici, et Spalati.
Lactuca saligna		In saxosis agri Sibenicensis.
sativa	*Lochika*	Culta.
Lagurus ovatus		In sterilibus agri Sibenicensis et Traguriensis.
Lamium amplexicaule		In agris frequens.
maculatum		In umbrosis vulgaria.
purpureum		In umbrosis vulgaria.
Lathyrus Aphaca		In cultis.
Cicera		In apricis Dalmatiae.
latifolius		In satis et ad sepes.
tuberosus.		Ibidem.
Laurus nobilis	*Javor Lavorika*	Tragurii ad sepes et in insulis.
Leontodon Taraxacum —δ *Bertol.*	*Xukko zelje*	Ubique vulgaris; varietas occurrit praesertim autumno.
LeonurusMarrubiastrum		In ruderatis agri Sibenicensis.
Lepidium Iberis		Vulgare.
petraeum		In saxosis Scardonae, Sibenici et alibi.
Leucojum aestivum		In pratis udis circa Salonam et Onaeum.
Ligustrum vulgare	*Pupator*	Ad sepes in *Riviera dei Castelli.*
Linaria arvensis		In agris sterilibus.
chalepensis		Sibenici, et Tragurii in cultis.
Cymbalaria	*Klobuçich*	Ad muros ubique.
dalmatica		In insula *Provichio.*
Elatine		In agris argillosis prope Sibenicum.
monspessulana		Tragurii in saxosis.
pilosa		In rimis rupium prope Onaeum.
simplex		In agro Sibenicensi.
spuria		In agro Sibenicensi.

Digitized by Google

Linaria vulgaris	*Planak Konopljanka*	In cultis.
Linum catharticum		In Biokovo.
tenuifolium		In aridis, saxoxis frequens.
usitatissimum	*Lan Predivo*	Cultum.
Lithospermum arvense		In satis vulgaris.
purpuro-cœrul.		In umbrosis agri Traguriensis et Spalatensis.
tinctorium		In apricis agri Sibenicensis.
Lolium perenne	*Ljulj Uljka Urat*	Inter segetes.
temulentum		
Lonicera Caprifolium	*Boxie drivo*	Ad sepes Spalati, Tragurii, etc.
Lotus corniculatus		Vulgaris.
γ crassifolius *Pers*		Frequentior in saxosis.
hirsutus		In apricis agri Traguriensis, Spalatensis et in insulis Brattia et Apsyrtide.
ornithopodioides		In umbrosis agri Traguriensis et Spalatensis.
Lunaria annua	*Mjseçno zelje*	In monte *Dinara.*
Lupinus albus	*Vuçak Vuçii bob*	Cultus.
Lychnis dioica	*Velli golesach Usac*	Ad sepes vulgaris.
Lycium europaeum		Ibidem Spalati, Jaderae, Tragurii, Salonae, Mandetrii.
Lysimachia linum stellatum.		In agro Sibenicensi frequens.
Lythrum Salicaria		Ad fossas circa *Verlika.*
Malva rotundifolia	*Sljz*	Vulgaris.
sylvestris	*Sljz veliki*	Locis umbrosis ac feracioribus in agro Spalatensi.
Marrubium candidissimum.	*Bilo zelje*	Frequens in apricis asperis.
vulgare	*Kadulja dobra Marula Xdest prasii*	In ruderatis et viis campestribus.
Matricaria Chamomilla	*Ramam Kamomilla Kokotnjak*	In agris sterilibus.

Digitized by Google

Medicago circinata		In apricis agri Spalatensis
falcata		In siccis, collinis.
Gerardi		Circa Sibenicum.
minima		In apricis frequens.
β hirsuta		
orbicularis		In collibus Tragurii, Spalati.
prostrata		In saxosis prope Sibenicum.
Melica ciliata		In sterilibus agri Sibenicensis.
Melilotus officinalis	*Ditellina velika Nokatac Kokotac*	Ibidem.
vulgaris	*Guniva*	
Melissa Calamintha	*Divia metva Gorka metvica*	In umbrosis.
Nepeta		In apricis agri Sibenicensis.
officinalis	*Pçellina ljubicca*	In sylvaticis.
Mentha sylvestris	*Mala metva Divia metvica*	In argillosis frequens.
Mercurialis annua	*Skirenicca bila Prosunac Ressica*	In agro Traguriensi.
Meum Foeniculum	*Koromaç Moraç Kopar sladki*	In cultis incultisque.
Micropus erectus		In coll. circa *Capocesto.*
Momordica Elaterium	*Starkalj Krastavac divii*	In sterilibus arenosis.
Morus alba	*Murva Dud*	Cultae.
nigra		
Myagrum perenne		In cultis agri Sibenicensis.
Myosotis arvensis	*Miscia ditellina*	Vulgaris.
Myrtus communis	*Martina Martvina*	In insulis et litorali Dalmatico.

Nepeta Cataria	*Metvica gorka*	In ruderatis agri Sibenicensis.
Nerium Oleander	*Kundisc*	Secus Hyader in arenosis.
Nigella arvensis	*Çiurek Trava cernika Molunice*	In satis agri Sibenicensis.
damascena	*Giit pravi*	Ibidem in cultis.
Nymphaea alba	*Plutnjak Pobdio vodena*	In stagnis circa *Sign*
lutea		*Imoski* et Naronam.

Digitized by Google

Olea europaea	*Maslina*	Culta.
Oleaster *R. S.*	*Divia maslina*	In collibus et rupestribus spontanea.
Ononis Columnae		In saxosis apricis agri Sibenicensis.
spinosa	*Gladisç Zeçii tarn*	In arenosis, sterilibus.
Onosma stellulata *W. K.*		In apricis frequens.
Opuntia vulgaris *Mill.*	*Smokva indianska*	In coemeterio Sibenicensi et alibi.
Origanum smyrnaeum		In agro Sibenicensi frequens.
vulgare	*Metvica carljena Mravinac*	In agro Verliccensi, et Spalatensi.
Ornithogalum minimum	*Baloska*	In argillosis cultis.
pyramidale		In Apsyrtide et *Riviera dei Castelli.*
refractum *Kit.*	*Copuh pasii*	In saxosis agri Sibenicensis.
umbellatum	*Ptiçie mljko*	In satis, pomariis.
Ornithopus scorpioides	*Ljubi draga*	In apricis totius Dalmatiae.
Orobanche caryophyllacea		In insulis Apsyrtide et Brattia.
ramosa		In agro Jadertino.
Ostrya vulgaris	*Carni grab*	In sylvis.
Osyris alba		Ad sepes frequens.
Paeonia corallina	*Mossur*	Habui ex Dalmatia sine loci indicatione.
officinalis	*Planinski boxur Boxurach*	In montibus prope *Verlika.*
Paliurus australis	*Draça*	Ad sepes et in asperis vulgatissimus.
Panicum crus galli		Salonae.
β aristatum		
Miliaceum	*Prosso*	Culta.
italicum	*Bar*	
Papaver Argemone		In agris sterilibus.
Rhoeas	*Mak carljeni*	Inter segetes.
Parietaria officinalis	*Carquina Drinak Gomiaçina*	Ad muros ubique.

Digitized by Google

Peltaria alliacea		In Biokovo.
Peucedanum officinale	*Devesello Moraçina*	Ibidem.
Phillyraea laevis	*Komora Zelenika*	In asperis agri Sibenicensis.
Phleum asperum		In agris frequens.
echinatum		In saxosis totius Dalmatiae.
pratense		Vulgare in graminosis.
Physalis Alkekengi	*Mokunjce Mjurice Gospine jagodice*	Ad sepes agri Sibenicensis, et alibi.
Picridium vulgare	*Jaguc*	In apricis siccis agri Sibenicensis.
Picris hieracioides		Ibidem.
Sprengeriana		Ad versuras agrorum.
Pimpinella nigra		In asperis agri Sibenicensis.
Pinus Abies	*Jela Capin*	In sylvis Biokovi et insularum.
maritima	*Bor Sosna*	In montibus maritimis prope Mucarum et in insulis.
sylvestris	*Luç Bor divii*	In sylvis.
Pistacia Lentiscus	*Smarka Kunovina Trislja Carno marta*	Ad sepes et in apricis.
Terebinthus	*Smardelj Smarlijka Terpentik*	In collibus frequens.
Pisum arvense		In cultis.
Ochrus		Spalati inter segetes.
sativum	*Bix Savor Lepen Loznac*	Cultum.
Plantago Bellardi		In Apsyrtidis apricis.
Coronopus	*Gelini rog*	Ad maenia urbis Jaderæ.
Lagopus		In maritimis circa Tragurium.
lanceolata	*Mala boquica*	Vulgaris.
β lanuginosa		In siccis, saxosis.
major	*Marina boqua Paskvica*	In graminosis.
maritima		Ad scopulos circa mare, et in aridis.
β Wulfeni		
media		In pascuis.
Psyllium		In apricis agri Traguriensis, et Sibenicensis.
Plumbago europaea	*Vranjemil Vranjenja*	Ad sepes agri Sibenicensis, et Traguriensis.

Digitized by Google

Poa annua		Vulgares.
bulbosa		
β prolifera		
dura		In asperis, sterilibus frequens.
pratensis		Vulgaris in herbidis.
rigida		Vulgaris in siccis.
Polycnemum arvense	*Jelicca*	In agro Sibenicensi.
Polygala vulgaris		Ubique in incultis.
Polygonum aviculare	*Mala travica Duornich*	Ad vias.
Populus alba		In udis, ad aquas.
dilatata	*Jablan Topola*	
Portulaca oleracea	*Tust Tusak*	In cultis.
Potentilla hirta	*Divii maç*	In asperis agri Sibenicensis.
reptans	*Petopart Petolist*	Ad vias.
Poterium Sanguisorba	*OskorusicaKarvostſnica*	In sterilibus asperis.
Prasium majus	*Slanovitak*	In rupestribus agri Sibenicensis.
Prenanthes muralis		In Biokovo.
Primula suaveolens *Bert.*		Ibidem.
Prismatocarpus falcatus *Ten.*		In umbrosis agri Traguriensis.
Prunella laciniata		In apricis.
vulgaris	*Gortanka*	In herbidis.
Prunus Armeniaca	*Praskva xuta Antjch*	Cultae.
Cerasus	*Trifnja Kriçva*	
ε dulcis	— *bila*	
ζ juliana	— *carna*	
η austera	*Vifnja*	
domestica	*Sliva*	
Mahaleb	*Rasselka*	In collibus frequens.
spinosa	*Tarn carni Tarnjina*	Ad sepes.
Psoralea bituminosa	*Ditellina*	In tota Dalmatia litorali.
Punica Granatum	*Scipak*	Sylvestris ad sepes Tragurii et Spalati.
Pyrola rotundifolia		In Biokovo.
Pyrus communis	*Kruska*	
α Pyraster	*Kruska divia Tarnovaça*	In asperis sylvaticis (*Boraja*).
γ pompejana	*Bakvaça*	Culta praesertim circa *Verlika*.
Malus	*Jabuka*	Sylvestris in collibus saxosis.

Digitized by Google

Quercus Ilex	*Çesmina Carnika*	Ibidem.
α integrifolia		
β serrata		
pedunculata		In sylvis vulgares.
Robur	*Dub Rast*	
Ranunculus acris	*Rabokrek Stoppa vraxia*	In pratis frequens.
aquatilis γ		In aquosis Salonae.
arvensis		Inter segetes ubique.
bulbosus		Vulgaris Sibenici, Tragurii, etc.
lanuginosus		In agro Sibenicensi.
millefoliatus		In apricis agri Sibenicensis, *Boraja* et Brattiæ.
parviflorus		In *Riviera dei Castelli* et insula Brattia.
repens		In udis circa Salonam.
fl. pleno		
Raphanus sativus	*Rodakva*	Cultus.
Reseda alba		Ad mœnia urbis Sibenici.
lutea		Ubique in sterilibus.
β crispa		
Phyteuma		In cultis.
Rhagadiolus edulis		In umbrosis Tragurii.
stellatus		In apricis totius Dalmatiae.
Rhamnus Alaternus		In collibus agri Sibenicensis.
Frangula	*Karkavina*	Ad sepes et rupes Tragurii et Sibenici.
pumilus		In vertice rupis *la Torretta* in agro Spalatensi.
saxatilis	*Tarn Carni tarn*	In saxosis rupestribus totius Dalmatiae.
Rhus Cotinus	*Ruj Rojevina*	In sylvis Dalmatiae montanae.
Rosa canina	*Rusa divia Rusa pasia*	Ad sepes.
Rosmarinus officinalis	*Rusmarin*	Solenti, et in aliis insulis.
Rubia tinctorum	*Broç*	In dumetis umbrosis agri Sibenicensis et Traguriensis.

Digitized by Google

Rubus coesius		In agris incultis.
fruticosus		Ad sepes.
idaeus		In Biokovo.
tomentosus		In Apsyrtide circa *Lossin piccolo.*
Rumex Acetosa	*Kisjelica*	Ibidem.
acutus	*Staveal Stavljak veliki*	In pratis.
pulcher		Ubique frequens.
Ruscus aculeatus	*Jexevina Veprinak Kostrika*	In dumetis.
Ruta chalepensis	*Ruda*	In apricis lapidosis frequens.

Salix alba	*Varba*	In udis.
β vitellina		
Salsola kali	*Omakalj*	In litorali prope Sibenicum.
sativa		Culta.
Soda		In maritimis Salonae.
Tragus		In insula *Crappano.*
Salvia clandestina		In apricis totius Dalmatiae.
Horminum	*Proscenicca trava*	Inter segetes.
officinalis	*Kadulja Slavulja Pellin*	In collibus totius Dalmatiae.
β auriculata	*Krastatica*	In Biokovo.
Sclarea	*Ivanovo zelje, cvjtie*	Sibenici, Tragurii, Spalati.
sylvestris		In agro Sibenicensi.
Sambucus Ebulus	*Aptovina Habattia*	Ad vias agrestes.
nigra	*Zovina Osovina Bozag*	Ad sepes Tragurii, Spalati, etc.
Saponaria officinalis	*Piperat*	Circa *Verlika.*
Vaccaria		In agro Traguriensi et Sibenicensi.
Satureja juliana		In collibus Dalmatiae frequens.
β angustifol.		
montana	*Vrisak kojnski*	Ibidem.
subspicata *nob.*		In Biokovo.
Saxifraga tridactylites		In apricis sterilibus.
Scabiosa Columbaria	*Komunika*	Ibidem.

Digitized by Google

Scabiosa holosericea		In Biokovo.
multiseta *nob.*		In argillosis agri Sibenicensis ad versuras.
Scandix australis		In insula *Selve.*
Pecten		In cultis ubique.
Scilla autumnalis		In asperis, collinis frequens.
hyacinthoides		Ibidem circa Sibenicum.
Scleranthus annuus		Vulgaris.
Scolymus hispanicus		Vulgaris in apricis, maritimis.
Scorzonera laciniata		In agro Sibenicensi et Scardonitano.
villosa		In asperis agri Sibenicensis.
Scrophularia canina		In sterilibus Dalmatiae.
peregrina		In ruderatis Sibenici et Mandetrii.
Secale cereale	*Ras Ozimica Arx*	Culta.
Sedum acre		In apricis, siccis.
album	*Sebriz*	Ad muros.
altissimum		In asperis agri Sibenicensis.
glaucum *W. K.*		In umbrosis ibidem.
rupestre		Ibidem in saxosis.
sexangulare		Ibidem et in Biokovo.
Telephium	*Cirnjak Bobovnik*	Ibidem ad muros.
Sempervivum tectorum	*Vazdaxiv Rosa gospina*	Ad tecta domorum.
Senecio lividus		In agro Sibenicensi.
tenuifolius var.		Circa *Verlika* in pingui solo.
vulgaris	*Dragufac Kerestovnik*	Ubique frequens.
Seseli glaucum		In collibus agri Sibenicensis.
tomentosum *nob.*		Ibidem, et circa Onaeum et Mandetrium ad rupes.
Sesleria elongata *Host*		In lapidosis Sibenici frequens.
Setaria glauca *R. S.*		In herbidis.
italica		
verticillata		
viridis		

Digitized by Google

Sideritis romana		In agro Sibenicensi.
Silene Otites		In siccis, lapidosis.
Sinapis arvensis	*Gorusica*	Inter segetes.
Sisymbrium Nasturtium		In aquosis in *Riviera dei Castelli.*
sylvestre		In agro Sibenicensi.
tenuifolium		Vulgare.
vimineum		In cultis agri Sibenicensis.
Smilax aspera	*Tetivika*	Ad sepes.
β maculata		
Solanum Dulcamara	*Gorkoslad*	Ibidem in agro Spalatensi.
nigrum	*Maunica Pomochnica*	In ruderatis frequens.
tuberosum	*Krumpir*	Cultum.
Sonchus arvensis		In agro Sibenicensi.
oleraceus	*Kostriç*	Vulgares.
β asper	*Kuk*	
Sorbus Aria		In Biokovo.
domestica	*Oskorusa*	Ad sepes et in saxosis sylvaticis Tragurii, Onaei, Brattiae.
Spartium junceum	*Bernistra Xukka Xuti xilj*	In rupestribus, collinis frequens.
Spinacia glabra	*Spanjak Spinac*	In cultis.
Spiraea filipendula	*Paprat mali od rane*	In Biokovo.
Stachys arvensis		In agro Sibenicensi.
lanata		In apricis agri Sibenicensis.
spinulosa *Sm.*		In agri Traguriensis et Sibenicensis umbrosis.
Statice Limonium		In maritimis Sibenici, Spalati.
rorida *Sm.*		Ad scopulos circa *Lossin piccolo*, et *Capocesto.*
Stipa pennata		In agris sterilibus Sibenici.
Styrax officinale		In asperis insulae Brattiae.
Syringa vulgaris	*Jergovan*	*Dugopolie* prope Mandetrium.

Digitized by Google

Tamarix africana	*Metljika*	Circa Naronam.
Tamus communis		Ad sepes Tragurii et Spalati.
Teucrium Chamaedrys	*Dubçac mali Dubaçac*	In collibus frequens.
montanum	*Jva*	In Biokovo.
Polium	*Bilo zelje Metva bila*	In apricis totius Dalmatiae litoralis.
Scordium	*Lukovina*	In udis secus Titium.
Thalictrum elatum	*Osuçi*	In Biokovo.
Thelygonum Cynocrambe		In umbrosis Sibenici, Tragurii, Spalati.
Thesium Linophyllum *var.*		In asperis, apricis.

foliis lineari-subulatis, crassiusculis.

Thlaspi bursa pastoris	*Surlin Rusumaça Skrisan Guromuch Çeslika*	Vulgaris.
perfoliatum		In cultis Sibenici et alibi.
saxatile		In saxosis ubique.
var. apetala		In agro Sibenicensi.
Thymus acicularis *W. K.*		In lapidosis apricis Sibenici et in Biokovo.
Serpyllum	*Popunac Matterina duscicca*	In apricis sterilibus totius Dalmatiae.
Tilia europaea	*Lippa*	In sylvis Biokovi.
Tordylium apulum	*Makiaçi*	In pratis totius Dalmatiæ.
officinale		Sibenici in sterilibus.
Torilis nodosa		In asperis Sibenici et Scardonae.
Tragopogon porrifolius		In agris collinis.
pratensis	*Kozia brada*	Vulgaris in herbidis.
Tribulus terrestris	*Glosche Çir Ripje*	Vulgaris in apricis.
Trichera arvensis *Schr.*		In pratis.
sylvatica		In pratis.
Trichocrepis bifida *nob.*		In asperis totius Dalmatiae litoralis, et in Istria.
Trifolium agrarium		Vulgare.
alexandrinum		Sibenici in cultis.
arvense		In agris sterilibus, etiam in Biokovo.
flexuosum		In Biokovo.
fragiferum		In herbidis.
incarnatum		In Biokovo.

Digitized by Google

Trifolium pratense		Vulgare.
repens		Idem.
resupinatum		In agro Sibenicensi.
scabrum		In sterilibus, siccis.
stellatum		Ibidem Sibenici et Spalati.
tomentosum		Ibidem Sibenici et Brattiae.

Obs. Omnes Trifolii species, immo leguminosae plurimae foliis trifoliolatis instructae, nominibus illyricis *Ditelina Troparstaç Trolist* promiscue appellantur.

Trigonella corniculata	*Divia ditelina*	In cultis Sibenici et Tragurii.
Triticum aestivum	*Jahra Pscenicca Xitto oxujaçki*	Culta.
hybernum	*Ozima pscenicca*	Culta.
repens	*Troskot*	Vulgare.
Spelta	*Silj Pir Osvah*	Cultum.
Turritis hirsuta		In sylvaticis Tragurii et Brattiae.
Tussilago Farfara	*Kopitnjak Podbio*	In argillosis, sterilibus.
Petasites	*Repuh*	In argillosis, sterilibus.

Ulmus campestris	*Brist*	Ad sepes
suberosa		Ad sepes
Urtica cannabina	*Koprivicca*	In agro Sibenicensi.
pillulifera		Ibid. et Spalati, Brattiae ad vias.
urens	*Xigavicca Kopriva*	Vulgaris.

Valeriana officinalis	*Odolin*	In Biokovo et circa Onaeum.
tripteris		Ibidem.
tuberosa		In asperis agri Sibenicensis.
Veratrum album	*Çemerika*	In Biokovo.
Verbascum Blattaria		In agro Sibenicensi.

Digitized by Google

Verbascum phlomoides	*Lepuch Osljpar*	Vulgare.
sinuatum		In argillosis Sibenici.
Thapsus	*Divi tabak Xutocviti*	Vulgare.
Verbena officinalis	*Sporisc*	Vulgaris.
Veronica austriaca		Sibenici in saxosis.
Buxbaumii *Ten.*		In herbidis.
Chamaedrys		In umbrosis frequens.
Cymbalaria *Bert.*		In asperis Dalmatiae.
hederaefolia		Inter segetes.
officinalis	*Verunica Çestoslavica*	In Biokovo.
spicata		In sylvaticis circa *Miljevci.*
Viburnum Lantana	*Scibikovina Kalina*	In Biokovo.
Tinus	*Ropoçika*	Tragurii, Onaei, Brattiae ad sepes.
Viccia Cracca		Ad sepes vulgaris.
Faba	*Bob*	Culta.
hirta		In satis sterilibus.
lutea		Vulgaris.
narbonensis	*Bob divii*	In agro Spalatensi.
peregrina		In pratis Sibenici et Tragurii.
sativa		In cultis sponte.
tricolor *Sebast.*		Inter segetes in *Boraja.*
Viola hirta		In collibus apricis.
odorata	*Ljubicca Violice*	In umbrosis vulgaris.
tricolor		In asperis agri Sibenicensis.
ε lutea		
Vitex Agnus castus	*Konopljka velika*	In udis frequens.
Vitis vinifera	*Loza*	Culta.
β sylvestris	*Loza divja Vinika*	Sponte oritur in umbrosis.
—	—	—
Xanthium spinosum		In incultis frequentia.
strumarium		
—	—	—
Zacintha verrucosa		In umbrosis ins. *Selve.*
Zea Mays	*Kukuruz*	Cultae.
δ praecox	*Berzohod*	
Zizyphus vulgaris	*Çiçindra Çiçimak*	Culta.
Zostera marina	*Voga Svilina Porost*	Ad mare.

Digitized by Google

Quoad orthographiam et pronunciationem nominum illyricorum, scitu dignum existimo, me regulas a cl. Stullio in suo Lexico datas in primis secutum esse, iis paucis mutatis, quas usus improbat,

Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi.

Digitized by Google

ADNOTATIONES

P. 3. *Cephalaria leucantha* γ. Planta e seminibus orta in Biokovo lectis floruit hoc mense Julio in H. Patavino. Characteres expositos constanter servat. Differt praecipue a specie, hirsutie totius plantae, ac magnitudine foliorum, cum pinnula terminalis latitudinem plus quam pollicarem exhibeat, laterales fere semipollicarem. Foliorum pubes cinerea, lanuginem aemulans, caulis autem rigidior, brevior, rariorque.

P. 4. Quorundam scriptorum rerum illyricarum auctoritate deceptus, tum in hac tum in sequentibus paginis 9, 23, 24, Biokovum nomine *Albii* appellavi, quod delendum.

P. 5. *Campanula cordata.* Post impressionem descriptionis hujusce e sicco specimine factae, plurimas ejusdem speciei plantulas observare mihi contigit in itinere, vere proxime elapso, per Dalmatiam suscepto, quod etiam accidit de aliis pluribus in hac opella descriptis, scilicet de *Biscutella dilatata*, *Corydalide acauli*, *Crepide incarnata*, *Trichocrepide bifida*, et *Chrysanthemo Turreano.* Qua propter, capta occasione, harum omnium diligentius examen institui, ex quo quaedam descriptionibus meis addenda, quaedam etiam corrigenda esse cognovi; quod suis locis me facturum polliceor.

Caulis *Campanulae cordatae* revera erectus, sed rami qui per totam ejusdem longitudinem ortum habent patentes sunt; quorum infimi folio spathulato praediti, caeteri folio cordato-amplexicauli basi circumdati. Pars plantae floralis non viscosa, sed pilis strigosis obsita, qui digito exploranti facile adhaerent more pilorum viscosorum. Folia in macris nullam baseos dilatationem praeseferunt, sed nequidem vere attenuantur, ut in caeteris Campanulis hujusce sectionis occurrit; in feracioribus vero formam evidenter cordato-amplexicaulem dilatatam, basique saepius dentatam, adipiscuntur. Flores violacei, extus albidi, in varietate β. omnino candidi. Corollae in siccis apricis et in plantulis praecocibus calyce minores, in pinguibus calycem superantes, saepius vero subaequantes. Vidi etiam in Istriae cultis circa Arupinum (*Rovigno*).

P. 8. Cl. Prof. Moretti detexit in monte Cornu Praetutianorum *Arenariae* speciem cujus specimina humaniter nobis largitus est, quaeque videtur *A. graminifolia* Ard. Differt haec a planta dalmatica (quae certe eadem ac species herbarii Arduini a nobis collata) hirsutie majori ac macriori habitu, quae variationes ariditati loci natalis tribuendae videntur, caeteris characteribus optime congruentibus. De hac hirsutie tamen illud observatione dignum existimo, quod ipsa ab apice caulis radicem versus pilorum copia ac densitate decrescat, ita ut pars plantae inferior multo minus pilosa sit ac superior sive floralis: ex quo non sine aliqua probabilitate suspicari possis inferiorem partem pubem etiam omnem exuere posse ex quibusdam caussis, uti situs ferax, clima rigidius, vel cultura, atque ita in plantam dalmaticam omnino converti. Magnitudo, et praecipue parva admodum pilorum copia quae in inferiori parte speciminum Arduini *A. graminifoliae* observatur, conjecturam cl. Morettii probabiliorem reddit, eadem non spontanea esse sed culta, et simul suspicioni nostrae favetur de pubis in infima stirpis parte inconstantia. Nihilo tamen minus cl. Vir putat plantam Arduini ab illa Portenschlagi differre; cujus sententiae si, quod in multis solemus, hac in re non assentimur, diligenti ac repetitae originalis plantae Arduinianae inspectioni, specierum harum junctionem valide suadenti, id unice tribuat.

P. 17. *Crepis.* Adde synonimon genericum, quoad speciem meam, Barkausia *Moench De Candolle.* Plurimorum speciminum attenta comparatio dubitationem injicit de vero

Digitized by Google

hujusce plantae ab affini *C. rubra* discrimine. Folia profecto admodum variant quoad copiam ac profunditatem laciniarum, sed nunquam formam vere lyratam exhibent.

P. 19. *Chrysanthemum Turreanum.* Tantum post editam hujusce speciei descriptionem mihi innotuit *Pyrethrum cinerarifolium* Trevir. *Cat sem. hort. Vratisl.* 1820 Chrysanthemi Turreani synonimon, cujus descriptio atque imago recenter apparuit in *Horto Botanico* cl. Reichenbachii *Cent. I. dec. IV. p.* 25. *tab. XXXVI.* Habuit cl. Treviranus tum stirpem siccam tum semina ejusdem ab ill. de Portenschlag, qui eamdem legerat Onaci ad rupes, ubi egomet postea. Nomen Auctoris spectatissimi, utpote antiquius, retinendum censemus, quamquam folia hujusce stirpis nec quoad pubis densitatem, colorem ac distributionem, nec quoad magnitudinem, ac praecipue formam et divisuras pinnularum, illis *Cinerariae maritimae* comparari queant. Cultura pubem exuit, saltem majori ex parte. Color radii etiam in spontaneis constanter candidus. Icon. cl. Reichenbachii ex manco specimine facta habitum plantae nullimode repraesentat; color non viridis, sed sericeo-canescens.

P. 24. *Alyssum gemonense.* Oritur tantum in rupestribus montis *Male muline* dicti contra Tragurium.

P. 26. *Apargia hispida.* Hujus varietas in asperis Biokovi obvia, et scapis ramosis foliisque pinnatifidis distincta est *A. saxatilis* Tenor. *Fl. nap. p.* 168. *t. LXXII.*

P. 29. *Campanula Portenschlagiana.* Adest in herbario ill. de Portenschlag Vindobonae servato Campanulae species sub nomine *C. muralis*, Onaei lecta ad muros. Praestantissimus professor Moretti, qui me de hoc in literis benevole docuit, admonuit etiam, nomen hoc synonimon esse *C. isophyllae* suae (*Giorn. di Fisic. Bim. II.* 1824. Morett. *Dec. VII. de quib. pl. ital. n.* 64), cujus quoque specimina italica comiter mihi largitus est, et quae cum dalmaticis a me lectis omnino conveniunt. Piget quod cll. Roemer et Schultes in *Syst. veg. vol. V. p.* 93. sub *C. Portenschlagiana* nullum de nomine *C. muralis Portenschl. Herb.* mentionem fecerint, quod litem omnem dirimeret de identitate utriusque plantae. Nihilo tamen secius tanta est descriptionis Morettianae et Roemerianae similitudo, ut duas hasce plantas in unam speciem jungendas esse quisque facile agnoscat: quod clarius elucescit ex eo, quod in herbario Portenschlagi adsit jam *C. isophylla* Mor. quam probabile est Portenschlagium Roemero misisse pro typo *C. Portenschlagianae.*

Plantula elegans perennis, rimas murorum rupiumque floridis caespitibus exornans. Color florum violaceus, non dilute coerulescens, ut Roemerus et Schultes asserunt qui specimen siccum descripserunt. Corollae laciniae obtusissimae, immo apice rotundatae. Pubescentia variabilis, in speciminibus Biokovi densa et fere holosericea, in Onaeis propemodum nulla; ita variat etiam in speciminibus italicis. Icon cl. Reichenbachii (*Icon. rar. Cent. III. dec. VII. tab. CCII. f.* 344.) peccat quoad colorem florum, qui coerulescens exhibetur, dum reapse lilacinus, et quoad formam laciniarum corollae, quae ibidem ovato-acutae pinguntur. Folia quoque formam minus obviam praeseferunt, cum reniformi-cordata et rotundata esse soleant.

P. 30. *Centaurea deusta β.* Ten. Distingnit hanc varietatem clarissimus speciei detector (*Fl. nap. p.* 266.) caule humiliori, ramis paniculatis, calycibus minoribus, squamis ferrugineo-maculatis.

P. 31. *Cistus monspeliensis.* Ex floribus potissimum hujusce plantae eliciunt apes mel illud suavissimum hispanico aemulum, quod in insula Solento colligitur.

ib. *Colchicum montanum.* Cum nullam in libris botanicis hujusce stirpis iconem invenerim, eamdem inter nostras delineandam curavi (*Tab. VI. f.* 1.) ne ulterius confundatur cum *C. montano* Allionii, seu *C. alpino* De-C. Quod vero attinet ad descriptionem et illustrationem speciei, confer aureum et vere linnaeanum opus cel. Bertolonii, cui titulus *Amoenitates italicae p.* 24. Triviale nomen *Baluska* plantis bulbosis plurimis tribuunt illyrici.

P. 32. *Convolvulus tenuissimus* Sm. Pedunculi non raro biflori. Folia quoad laciniarum profunditatem ac latitudinem polymorpha, sed semper nitide sericea. An species bona a *C. althaeoide* constanter diversa?

ib. *Conyza candida.* L. Huc retuli, potius quam ad *C. candidam* W. seu *C. limonifoliam* Sm., Conyzae speciem sequentibus notabilem characteribus. Tota niveo-tomentosa, im-

Digitized by Google

mo ad basim petiolorum radicalium denso et serico gossypio praedita; in umbrosis vero diuque culta subvirescens. Radix lignosa, caulesque basi suffruticosi. Folia ovata petiolata utrinque attenuata rugosa obtusa, subtus candidiora, quorum radicalia majora evidenter crenata; caulina, et praecipue superiora, minora et subintegra. Flores breviter pedunculati lutei; axillaribus solitariis, terminalibus 2-6. insimul aggregatis. Pedunculi clavati. Anthodia foliolis oblongis inaequalibus involucrantibus cincta. Ex comparatione descriptionum iconumque *C. candidae* L. et *C. candidae* W. maximum inter utrasque species discrimen in eo situm esse videtur, quod illa folia crenata gerat, haec integerrima; quae nota postrema cum stirpi dalmaticae omnino desit, hanc pro vera *C. candida* L. proponere non dubitamus. Icon Zanonii sub nomine *Astero di Ragusa con foglie di Verbasco* Hist. bot. p. 14 f. 21. ab omnibus pro *C candida* L. citata, habitum notasque praecipuas plantae nostrae in eadem provincia lectae, unde Zanonius, optime repraesentat, licet flores solitarios exhibeat. Florum enim congestio in apice caulis non ita constantem efficit differentiam, uti summus Linnaeus arbitratus est, cum in eadem specie flores nunc solitarii, nunc bini ternive, saepe saepius vero plures simul in corymbi speciem digesti observentur. *Conyza candida* Ten. *Fl. nap. p.* 210-11 *tav.* LXXVI. omnino eadem est cum specie dalmatica: tamen cl. auctor eam potius retulit ad *C. candidam* W. sive *limonifoliam* Sm. quam ad *C. candidam* L. sive *verbascifoliam* W. Alterius hujusce speciei phrasim ipse novam digessit juxta plantam sub hoc nomine in H. Neapolitano cultam, quae profecto Conyzae nostrae minime quadrat; sed num veram *C. verbascifoliam* W. descripserit ex eo dubitandum esse videtur, quod eidem tribuat characteres Willdenowianis e diametro oppositos, nempe folia acuta, pedunculos cylindricos, ac tomentum sericeum. Sub *C. candida* W. junxit cl. auctor tum synonima Bocconei et Zanonii ab omnibus pro *C. candida* L. citata, tum illa Buxbaumi et Barrelieri. Ex hisce patet, duas hasce species apud botanicos non bene adhuc distinctas esse, quod tantummodo tunc fore spero, cum prodiet icon verae *C. limonifoliae* seu *candidae* W., in *Iconibus Florae Graecae* a celeberrimo Linnaeani herbarii possessore expectanda.

ib. *Crocus odorus* Biv. In speciminibus dalmaticis stigmata vix emarginata conspicies, immo aliquando fere integra. Differentiam hujusce speciei a *C. serotino* Salisb., cum quo antea confusa, lege in *Syst. veg. vol. I. p.* 146. celeberrimi Sprengelii.

P. 35. *Euphorbia fragifera* Jan (non *Jahn*). Hoc insignivimus nomine speciem descriptioni a cl. Jan datae in *Catalogo plantarum phaenogamarum* Parmae edito anno MDCCCXVII. p. 76. et praesertim speciminibus *E. fragiferae* loco a detectore indicato a nobis collectis optime convenientem. Animadvertamus tantum oportet involucella in nostra saepius transverse elliptica esse, et semper latiora quam in speciminibus Tergestinis. Caeterum species haec non bene videtur ab *E. epithymoide* distincta. Umbellae radii enim non semper trifidi, sed interdum bifidi; involucella aliquando denticulata, praecipue suprema; folia non raro mucrone destituta: quae variationes obviae tum in speciminibus dalmatis, tum in tergestinis omnem specierum differentiam penitus tollunt. In umbrosis ac minus asperis plerumque pubem ex parte dejicit.

P. 36. *Genista dalmatica* Bartl. G. spinis patentissimis pinnato-compositis pungentibus angulatis; foliis linearibus margine ramisque angulatis pilosis; racemis terminalibus; carina pubescente; leguminibus monospermis pilosis. Bartling *Beitr. zur Botan.* 2. *p.* 74.

Species intermedia inter *G. germanicam* et *sylvestrem*, spinis priori, habitu alteri similis, ab utraque satis distincta.

P. 37. *Hedypnois tubaeformis* Ten. Ob majorem soli ariditatem specimina dalmatica neapolitanis macriora sunt ac fere acaulia. Caeterum quoad notas foliorum pedunculorumque exacte conveniunt tam cum descriptione a cl. Tenore exhibita in Flora neapolitana p. 173, quam cum icone LXXIII. ejusdem operis.

P. 38. *Iris germanica.* Huc ducendam esse arbitror *Iridem illyricam* antiquorum a Theophrasti ac Nicandri usque temporibus celeberrimam.

ib. *Juniperus Oxycedrus.* Habitus plantae foemineae ab illo plantae maris omnino diversus; haec enim in arbores proceras ac regulares assurgunt, illae vero demissos effusosque caespites ramis brevibus patulis implexis conficiunt.

P. 39. *Leontodon Taraxacum* ϐ Bertol. *Lucubr. p.* 24. *n.*° 135 (fide auctoris cl.).

Digitized by Google

P. 40. *Lychnis dioica.* Specimina omnia dalmatica admodum viscosa.

P. 43. *Plantago lanceolata β.* Huc pertinere censeo *Plantaginem hungaricam* Waldst. et Kit., quam ita distinguunt clarissimi detectores; « foliis lanceolatis subdenticulatis quinquenerviis, scapoque angulato pilosis, spica subovata nuda ». Spica primum subovata, tandem elongatur, ac formam cylindricam adipiscitur, quod in plerisque aliis hujusce generis speciebus occurrere, neminem fugit.

P. 44. *Prismatocarpus falcatus.* Ten. Pulchellam hanc plantulam videtur non latuisse Buxbaumium, qui eam innuit sub nomine *Campanulae arvensis flore minimo, capsula grandi* in Pl. min. cogn. cent. IV. pag. 24, atque iconem sat bonam praebuit in tabula XXXVIII.

P. 46. *Satureja Juliana β.* Huc refero *S. tenuifoliam* Ten. *Prodr. p. XXXIII Syn. pl. p. 49. n.°* 85.

P. 47. *Senecio tenuifolius* var. *luxurians:* foliis ovatis breviter pinnatifidis, caule floccoso.

P. 48. *Stachys spinulosa* Sm. Ex phrasi specifica tum cl. Smithii in *Prodr. fl. graec.* tum cl. Sprengelii in *Syst. veg.* eamdem esse censui cum stirpe graeca Stachydis speciem sequentibus praeditam characteribus. Radix fibrosa annua. Caulis basi ramosus ramis adscendentibus; caeterum erectus, fere glaber, obtuse tetragonus, angulis muricatis. Folia cordata obtusa crenata pubescentia, petiolis villis patulis ciliatis. Bracteae ovato-lanceolatae acutae trinerves subsessiles. Verticilli basi lanuginosi sexflori. Calyces campanulati pubescentes, laciniis lanceolatis apice mucronatis, in quo solum stirps nostra recedit a diagnosi Sprengeliana (*Syst. veg.* 2. *p.* 734), juxta quam calyces submutici. Corolla alba calyce duplo longior, labio superiore fornicato integro extus pubescente, inferiore trilobo lobis lateralibus reflexis ovatis obtusis, intermedio magno rotundato ochroleuco, lineis sordide rubris notato, subintegro. Filamenta ciliata, antice purpurascentia. Antherae didymae, suturis rubentibus. Odor herbae ingratus.

ib. *Statice rorida* Sm. Eadem est ac *St. articulata* Lois., cujus accuratissimam descriptionem, exactam synonimiam, iconemque optimam vide in cl. Reichenbachii *Icon. rar. Cent. II. p.* 65. *tab. CLXXII. f.* 303.

P. 49. *Teucrium montanum.* Herba roborans, quam experientia edocti monticolae in morbis omnibus asthenicis utiliter adhibent.

ib. *Thesium Linophyllum* var. Est varietas macrior verae speciei in collibus totius Illyrii frequens, cujus folia in locis minus asperis pedetentim explanantur ac dilatantur. Eamdem vidi in quibusdam herbariis, atque etiam mihi missam accepi sub nomine *Th. divaricati* Jan, quod mihi ignotum.

ib. *Tordylium apulum* et *T. officinale.* Cum nondum inter plures botanicos hae species videantur distinctae, differentias omnes quas in vivis observare mihi licuit hic singillatim enumerare non inutile fore persuasum habeo. *Tordylium apulum* elatius est, robustius, hirsuto-villosum, praesertim basi et ad nodos caulis, qui albis pilorum fasciculis longe barbati. Caulis erectus sulcato-angulatus, ad apicem usque ramosus atque foliosus. Folia trijuga cum impari; radicalia pinnis rotundioribus, crenatis, vix lobatis, obtusis, breviter petiolatis, impari majore subcordata rotundata profundius lobata; caulina inferiora pinnis oblongis, basi cuneatis, longius petiolatis, profunde lobatis, lobis acutiusculis, impari latiore, sed longitudine subaequali, fere tripartita; superiora simpliciter pinnati-partita, lobis lanceolato-linearibus subfalcatis integris, vel rarius apice incisis, acutis; suprema ternato-pinnata lobis integerrimis, vel etiam simplicia. Involucra linearia umbella multoties breviora. Involucella angustiora umbellulae pedunculos subaequantia. Radii quasi glabri. Fructus magni (3. lin. circ. latit.), majores quam in *T. maximo*, utrinque scabri squamosi, margine crasso albo annulatim rugoso; rugis maturitate in totidem dentes interne abeuntes. Huc referri debet *Tordylium apulum* Rivini *Pent.* (icon varietatem exhibens foliis minus lobatis, sed in qua desiderantur folia radicalia), et *Tordylium apulum* Jacquini *Hort. Vind. T.* 1. *tab.* 53., quae optime repraesentat varietatem speciei vegetiorem, foliis profundius lobatis majoribusque distinctam. Habui ipsammet speciem a cl. Gussone e Sicilia missam sub eodem nomine.

Tordylium officinale ex adverso humilius est, debilius, pilis adpressis mollibus tomentosum. Caules ex una radice plures, adscendentes, angulato-striati, basi subdivisi et fo-

Digitized by Google

liati, caeterum nudi, simplices, elongati, graciles, scapos mentientes. Folia bijuga vel rarius unijuga cum impari, omnia pinnis subrotundis subsessilibus crenatis, vix vel ne vix quidem lobatis; impari caeteris duplo majore, in radicalibus cordato-ovata obtusa, in caulinis elongata lanceolata incisa acuta, basi subcordata, pinnis reliquis triplo longiore. Involucra linearia umbella duplo breviora. Involucella similia umbellulas etiam fructiferas superantia. Radii villosi. Fructus parvi, dimidio et amplius minores quam in *T. apulo*, utrinque squamosi, quandoque hispiduli, margine ut in illo. Huc spectat, quamvis minus bona, icon *Tordylii apuli minimi* Columnae *Ecphr. I. p.* 124, quam primus cl. Smith (*Brit. p.* 294.) suspicatus est ad hoc potius quam ad *T. apulum* pertinere. Specimen Columnae nostris macrius fuisse videtur, ac idcirco icon folia exhibet omnia uno tantum pinnularum pari donata, quod etiam in nostris interdum occurrit; nec ibidem pars nuda caulis, pedunculi vices gerens, sat longa pingitur. Nihilominus icon haec plantae exiguitatem, foliorum formam, atque involucellorum longitudinem tam bene exprimit ut tute pro vero *T. officinali* citari queat. Sed longe meliorem imaginem hujusce stirpis praebuit cl. Welden in *Enumeratione plantarum in Dalmatia lectarum a Fr. de Portenschlag* primum edita in diario germanico superius citato (*Archiv für Geschichte etc.* 1824 *num.* 56 *et* 57 *tab. III.*), dein separatim. In nostris speciminibus umbellarum pedunculi etiam longiores, quam in icone ista diligentissima.

P. 51. *Vicia tricolor* Sebast. In diagnosi hujusce stirpis a cl. Seringe exaratae in cel. De C. *Prodr. syst. veg.* 2. *p.* 363. *n.*° 75. sequentia emendanda videntur. Vexillum punctis quibuscumque caret, ex flavo viret, atque lineis nigricantibus longitudinaliter striatum cernitur. Alae nigro-velutinae. Specimina nostra magis accedunt ad var. *g. oblongam* ejusdem auctoris (*loc. cit.*) foliolis oblongis subtruncatis mucronulatis distinctam.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Tab. I.

Scabiosa multiseta

Digitized by Google

1. Campanula cordata. 2. Lecidea bovina.

Digitized by Google

1. Seseli tomentosum

2. Arenaria Arduini

Digitized by Google

Tab. IV.

Satureja subspicata

Digitized by Google

Tab. V.

Biscutella dilatata

Digitized by Google

1. Colchicum montanum L. 2. Crepis incarnata

Digitized by Google

Trichocrepis bifida

Digitized by Google

Tab. VIII.

Chrysanthemum Turreanum

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z161037107
Digitized by Google